5.3



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/vitavenerabiliss0000unse

V. JOANNES BERCHMANS SOC. JESU,
Natus Diestemii 13 Martii 1599; Decessit Romæ 13 Aug 1621.
Solitus dicere:
Hæc tria mihi carissima: Cum his libenter moriar.

Segers & Bouwens exc.

VITA

VENERABILIS SERVI DEI

JOANNIS BERCHMANS

E SOCIETATE JESU,

ITALICE SCRIPTA A P. VIRGILIO CEPARIO, LATINE REDDITA

A P. HERMANNO HUGONE,

UTROQUE EJUSDEM SOC. SACERDOTE.

Editio tertia recognita et emendata, cui ampla Appendix accessit.

ALMA COLLEGE
060.97
LIBRARY
B451
Alma, California

LOVANII,
TYPIS C.-J. FONTEYN.
—
1853.

24309

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

ENGELBERTO STERCKX,

S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO,

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI

ET PRIMATI BELGII.

Cum iterum typis edendæ visæ essent res gestæ admirandi illius juvenis, qui extremo sæculo decimo sexto in Belgio natus est et cujus laudes vix in ulla jam catholici orbis regione ignorantur, non est dubitatum, EMINENTISSIME DOMINE, quin cum bona Tua venia eas nomini Tuo dica-

alicubi scribit, a gratiis gratis datis, neutiquam tamen deerunt quæ lector suspiciat, et ex quibus animos sibi additos experiatur ad magnanimi juvenis vestigia premenda. Apparebit scilicet invicta illa in virtutis tramite constantia, perpetuo ad destinatum persequens ab ipso Filio Dei hominibus præfixum : *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est,* neque ad dexteram neque ad sinistram declinans, cui magnum visum id omne, quod supremæ Majestati placitum esset, quantumcumque illud homines forte aspernarentur. Intellexerat nimirum beatus Juvenis, voluntatem Dei esse sanctificationem nostram, cui rei vires omnes hominis sunt dicandæ, uti Deus ipse omnia ad eumdem finem fortiter et suaviter disponit ; qui, uti memini Eminentiam tuam aliquando inter nos versantem dicere, ad id unum spectat in omni providentia, ut Ecclesiæ illi, per quam homines salvantur, et decus accedat et perfectio.

Sed ne a proposito discedam, idem ille qui sic esuriebat et sitiebat justitiam, nec multis abhinc sæculis vixit, ut Sancti plurimi qui in hac regione Sanctorum feraci coluntur, quorum gesta in pluribus incerta sunt, vel brevissima

narratione tradita; nec in longinquis terris vitale lumen accepit : ejus namque exempla et recentia dici possunt et pæne domestica, quod quantum valeat ad homines ad imitationem pertrahendos, nemo est qui ignorat; neque demum talem nactus est Vitæ scriptorem, qui multa narrando extollat, aut ex posterioris ævi relationibus sua collegerit : Ceparius enim vel ipse vidit quæ refert, vel a tantæ auctoritatis et probitatis viris tantaque diligentia ea exquisivit, ut coram sacro judicum collegio in virtutes Ven. Servi Dei inquirentium, jurejurando firmare potuerit, quæcumque in illius Vita scripserat. Quamobrem nihil huic libro demendum fuit, nihil in eo immutandum; nec etiam quidquam adjicere primum animo propositum erat, sed pro egregia illa cognitione quam de Servi Dei gestis Eminentia tua habet, nonnulla ex Actis Romæ excusis, in quibus tot res admiratione dignæ continentur, addi posse Tibi visum est; qua in re non inani labore monitis Eminentiæ tuæ me ea qua par est reverentia et promptitudine obsecutum esse, et majori inde splendore virtutis et sanctitatis admirabilem juvenem circumdatum iri, merito confido. Et ea

demum est merces quam ex hac qualicumque opera a Deo optimo spero, ut multi in omni conditione vitæ exsistant illius virtutis imitatores, qui Eminentiæ tuæ levamen afferant sollicitudinis, qua diu noctuque gregi sibi credito invigilat, ejusque solentur laborem indefessum, quem suscipit ad parandas animas Regi sæculorum, qui eas omnes sanctitate insignes et meritis, serius ocius ad præmia vocare cupit. Quam in rem si vel minimum hæc opera mea conferre potuerit, vota omnia expleta erunt.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME

DOMINE,

EMINENTIÆ TUÆ

humillimus servus

Eduardus Carpentier

e Societate Jesu.

PRÆFATIO EDITORIS.

Hic brevi narratione declarare in animo est quis fuerit Virgilius Ceparius scriptor hujus Vitæ, ut suppleantur quæ ipsemet initio sui libri Patres Belgas alloquens testatus est, omnibusque perspectum sit quantam fidem hæc Vita mereatur.

Natus est Ceparius in oppido Panicale diœcesis Perusinæ, non procul a lacu Perusino sive Trasimeno, in ditione Pontificia, et Societatem ingressus anno 1582, ætatis suæ 18. Post consueta studia, professionem quatuor votorum emisit, et variis muneribus subinde addictus est; docuit nimirum linguam hebraïcam in Collegio Romano, Theologiam in Academia Parmensi et postmodum in Patavina, ubi Cæsarem Cremoninum nova dogmata molientem privatim ac publice redarguit : concionatus est etiam in primariis urbibus Italiæ. Anno 1598 renuntiatus est Rector Collegii Societatis Florentiæ (1), et

(1) Acta SS. Maji tom. 6 ad diem 25 p. 297 n. 211.

cum anno 1600 in monasterio Ord. S. Mariæ de monte Carmelo ejusdem civitatis, præclara quædam sanatio intercessione S. Aloysii Gonzagæ contigisset (1), et eodem anno S. Maria Magdalena de Pazzis, monasterii prædicti tum monialis, insignem illam visionem de S. Aloysio habuisset, quæ in illius Vita refertur (2), de his inquirere cœpit Ceparius et processus instrui curavit, ne harum rerum memoria interiret. Anno 1603 Florentiam iterum venit, pro concione dicturus per ferias quadragesimales (3), qua occasione plurimis denuo auditis de fama miraculorum S. Aloysii, operam dedit ut testes citarentur super novis miraculis et processus ab Ordinariis legitime formarentur.

Ab hoc tempore causis beatificationum et canonizationum addici cœpit, quam provinciam sibi demandatam habuit ad extremum usque vitæ tempus. Virum peritissimum, præsertim in his quæ ad causas illas spectant, eum vocat Lucas Castellinus Ord. S. Dominici in suo libro De certitudine gloriæ Sanctorum, quem idcirco ejus censuræ subjectum voluit. Ultimis vitæ annis Ceparius ipse de eodem argumento Tractatum elucubravit, qui frequenter a Benedicto XIV in laudatissimo opere de Beatificatione et Cano-

(1) Acta SS. Junii tom. 4 ad d. 21 p. 1042 n. 329 et p. 1045 Annot. b.

(2) Ib. p. 1037 n. 320 et p. 1040 Annot. e.

(3) Ib. p. 857 n. 41.

nizatione adducitur, de quo alicubi sic scribit : « Insuper sæpe memoratus P. Virgilius Ceparius e Societate Jesu, in suo ms. Directorio canonizationis Sanctorum, cui utique auctori fides præstanda est, cum causas beatificationis et canonizationis triginta annorum spatio tractaverit etc. (1). » Alibi vero de Vitis Servorum Dei agens, quæ præter morem aliqua auctoritate ad adstruendam famam sanctitatis in iisdem causis valere possent (cum ceteroqui in causis illis rei nullius ratio habeatur, quæ non fuerit præmisso solemniter juramento a cognitæ probitatis testibus et coram legitimis judicibus prolata), in exemplum adducit Vitas illas quæ a gravi scriptore ope processuum essent confectæ et prævio examine aliquot theologorum et Cardinalium, ab ipso summo Pontifice approbatæ, « uti contigit, inquit, in Vita S. Aloysii Gonzagæ conscripta a P. Virgilio Cepario e Societate Jesu, viro utique gravi et docto etc. (2). »

Florentiæ cum versaretur in spiritualibus moderatus est S. Mariam Magdalenam de Pazzis per annos minimum tres, eique primus anno 1599 tradidit exercitia spiritualia S. Ignatii, et anno 1601 quatuor tomos raptuum ac revelationum ejus examinavit (3). Eadem Sancta

(1) Bened. XIV de Beatif. et Canoniz. lib. 2 cap. 2. n. 4.
(2) Ibid. cap. 40 n. 9.
(3) Cfr. Acta SS. Maji loc. cit. p. 177 n. 3 et 239 n. 231.

Ceparium tum temporis Collegii Florentini Rectorem, aliquando in spiritu vidit exhortationem ad subditos habentem, uti singulis vel alternis hebdomadis ex legum præscripto est facienda; quæ res narratur in Vita S. Mariæ Magdalenæ, a Vincentio Puccini ejus quondam confessario, duobus annis a Sanctæ obitu typis vulgata (1). Attamen cum Ceparius anno 1609, quo Vita prædicta primum edita est, in vivis ageret, aliquod visionis adjunctum proferre non licuit, quod in processibus in causa canonizationis ejusdem Sanctæ confectis memoratur, eam videlicet simul vidisse, quæ eloquebatur ille, ei a Spiritu sancto fuisse inspirata (2).

(1) Ib. p. 213 cap. 68 n. 127; cfr. Nadasi, Annus dierum memorabilium S. J., ad diem 14 Martii.

(2) « E veggo che lo Spirito santo li forma tutte le parole » ch'egli proferisce. » His ipsis verbis S. Maria Magdalena de Pazzis allocuta est quamdam Novitiam suam, dictam Mariam Berti, eo ipso tempore quo sibi hæc visio obtingebat, quæ postmodum eadem Maria Berti retulit in processu Florentino anni 1612, die 14 Aprilis, hæc insuper addens : « Il giorno dipoi ci » venne il P. Virgilio a confessare come confessore straordinario; e Suor Maria Maddalena andò a confessarsi da detto padre. Per chiarirsi della verità, gli raccontò il seguito della » sera innanzi, cioè come l'aveva visto nel Collegio con i suoi » padri, e li raccontò quello che con loro aveva parlato, e li domandò s'era vero; e sua Riverenza disse che stava il tutto per » l'appunto com' essa aveva detto. E il detto padre, quando mi » andai a confessare, me lo ridisse, ch'era vero. » Leguntur hucusque citata in Actis canonizationis S. Aloysii Gonzagæ, quæ Romæ anno 1721 typis sunt excusa (Tit. 5 pag. 101 sqq.; cfr. Bened. XIV loc. cit. lib. 1 cap. 17 n. 9), itemque in Summario

Fuit etiam Præfectus rerum spiritualium in Domo Professa Romana, et cum ibidem nobilissimæ Congregationi B. V. præesset, ad eum audiendum cum Præsules multi, tum decem etiam Cardinales sabbato vesperi conveniebant. Duo Collegia Societatis fundavit, Firmi videlicet et Castellione, et duo cœnobia virginum, in quorum uno tres neptes S. Aloysii Gonzagæ convenerant, ac utrique certas vivendi leges condidit, a Venerabili Francisco Gonzaga Episcopo Mantuano approbatas (1); denique etiam Collegio Romano Rector est datus.

super introd. causæ Ven. Joannis Berchmans (Romæ 1745 p. 11), ex quibus monumentis pleraque quæ hic de Ceparío proferimus desumpta sunt. In iisdem Actis post recitata verba Mariæ Berti, Testis in processu Florentino trigesimæ septimæ, ita pergit Actorum collector : « Idemque super eodem articulo deponunt alii Testes fol. 171, 287 et alibi. In processu vero apostolico in specie examinata die 13 Julii 1624 Soror Euphrasia de Tancredis Testis 4, super artic. 12 fol. 106, dixit : « In particolare so ch'ella » stando una sera in orazione in Noviziato vidde il P. Virgilio » Cepario... e intese ciò che lui diceva loro, e come vedeva lo » Spirito santo che li formava le parole ch'egli proferiva, e ve- » nendoci il giorno seguente detto padre ecc... Idemque super » eodem articulo deponunt Testis 1, 2 et 13...

» Et hæc Sanctæ visio descripta legitur in ejus Vita parte 1 cap. 68, cujus capituli veritatem juratæ recognoverant die 14 Aprilis 1609 coram illmo D. Petro Nicolino Vic. Generali Florentino se subscribentes prædictæ quatuor et quatuordecim aliæ Moniales. Eamdemque nominatim approbaverunt et Relationi suæ inseruerunt auditores Rotæ §. De dono prophetiæ, ac S. rituum Congregatio, una cum ceteris ejusdem Sanctæ visionibus examinavit item et approbavit. »

(1) Cfr. Acta SS. Junii loc. cit. p. 1156 n. 34 sqq.

Præter Vitam S. Aloysii Gonzagæ, quo tanquam familiari et intimo Ceparius per plures annos usus est (1), et Ven. Joannis Berchmans, quem Romæ subditum habuit, scripsit etiam Vitam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis (2), S. Francisci de Borgia, S. Franciscæ Romanæ, denique libros de vera et honesta amicitia, de exercitio præsentiæ Dei et Directorium canonizationum.

In hac Vita Ven. Joannis, quod deessent labores in ministerio externo suscepti et res præclare gestæ coram hominibus, nonnullis immoratur Ceparius in gratiam juvenum potissimum, alia recenset quæ in domibus religiosis et penes homines pios fere quotidianæ sunt observationis, ut appareret nimirum, quanto perfectionis splendore actus omnes Ven. Servi Dei refulgerent; quod itidem præstitit in multis locis Vitæ S. Aloysii Gonzagæ, et hac de re Ven. Bernardinus Realini, in quadam epistola anno 1606 ad Ceparium scripta, eum plurimum laudat (3).

Illud demum omittendum non est, inter Vitas

(1) « Ego Virgiliis Ceparius, qui hunc beatum Fratrem nostrum Aloysium optime novi et familiariter cum eo per plures annos versatus sum, cujus etiam condiscipulus in Theologia fui, idem sentio cum ceteris. » Acta SS. Junii loc. cit. p. 858. « Nam cum in collegio Romano, ipso familiari atque intimo prope assiduo uterer etc. » Ibid. p. 916 n. 5.

(2) Hæc aliquot abhinc annis gallice est edita.

(3) Acta SS. Junii l. c. p. 919.

Sanctorum, Beatorum aut Venerabilium, paucissimas esse quæ tantam mereantur fidem, quantam meretur hæcce Ven. Servi Dei Joannis Berchmans, siquidem non solum pleraque quæ scribit Ceparius, vidit ipse suis oculis, sed et reliqua ex iis qui eorum testes oculati fuerant, tam accurate didicit, ut in processu Romano annorum 1622, 1623 et 1624, cum Vitam Servi Dei jam concinnasset, ita testimonium suum juratum absolvere potuerit : « Denique attestor cum juramento, quæcumque in illius Vita scripsi (1). » Edimus autem hanc Vitam, prout eleganti stylo ab Hermanno Hugone ex italico latine est reddita, sed quia hic identidem non satis fideliter inhæsit scriptioni primigeniæ, nulli nobis scrupulo duximus, ubicumque id advertebatur, aliqua commutare, donec interpretatio latina ad sententiam auctoris quam proxime accederet.

(1) « E per finire io depongo per vero con giuramento quanto « nella Vita di lui ho scritto. » Summar. cit. super introd. causæ p. 12. Finem quidem fecit Ceparius hujus Vitæ scribendæ anno 1624, ut discimus ex fine epistolæ ad PP. Belgas (infra p. 12), sed typis vulgata est solum anno 1627, idque tribuendum duco labori qui ex instante beatificatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in cujus causa munere Postulatoris fungebatur, et ex ejusdem Sanctæ Vita, quam prælo parabat (Acta SS. Maji l. c. p. 178 et 249), ei obtigerat; facta est enim hæc beatificatio anno 1626.

PROTESTATIO.

Decreto S. Inquisitionis anni 1625, *annis* 1631 *et* 1634 *ab Urbano VIII declarato et confirmato, insistens, profiteor non aliam fidem mereri quæ in hoc libro referuntur, quam humanam, et titulos Beati aut Sancti, appellationes miraculi, prophetiæ, revelationis, sicubi obvia sunt, me haud alio sensu accipi velle, quam quo ea solent quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem divina catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis de quibus eadem Sancta Sedes judicium tulit.*

IMPRIMATUR.

Mechliniæ, 28 *Augusti* 1853.

P. Corten, *Vic.-Gen.*

P. MUTII VITELLESCI

PRÆPOSITI GENERALIS SOCIETATIS JESU.

DE HAC VITA TESTIMONIUM.

« Felicis memoriæ frater noster Joannes Berchmans, juvenis revera fuit innocentia ac puritate insigni, Angelicis moribus, pietate admirabili, virtutibus solidis ac perfectis; Instituti nostri regularumque servantissimus; omnibus qui umquam cum eo sunt versati, quocumque tempore aut loco, per quamcumque occasionem, summi semper exempli : adeo ut neminem repererimus, qui umquam in eo deprehenderit vel minimum defectum, aut imperfectionem. Has ob res speramus, hanc vitæ ejus historiam (quam ego universam diligentissime legi, quæque plena est virtutum actibus, iisque propriis Alumno Societatis singulariter observanti ac perfecto) allaturam esse omnibus qui eam lecturi sunt, sed præcipue Patribus nostris, Fratribusque, insigne spiritus adjumentum, et calcar acquirendæ perfectionis Religiosæ. Et potest sane quilibet se-

curus esse eorum quæ de virtutibus ac cælestibus ornamentis, aliisque rebus ejus omnibus, in hac historia referuntur; nam ego ipse bene longum vidi catalogum virorum eruditorum, gravium, sapientium, timentiumque Deum, qui certa scientia hæc testantur, eorumque testimonia ipse perlegi. Utinam Domino placeret impertiri nobis gratiam imitandi in hac vita (is enim mihi propositus scopus cur Vitam hanc scribendam curarim) et in cælo deinde fruendi cælestibus illis bonis, quibus eum pie credimus modo potiri. 18 Julii 1625. »

Mutius Vitellescus.

LITTERÆ

P. VIRGILII CEPARII

SOCIETATIS JESU,

AD PATRES FRATRESQUE BELGAS

EJUSDEM SOCIETATIS,

QUIBUS MENTEM SUAM EXPLICAT

OPERISQUE ARGUMENTUM.

Placuit Divinæ Majestati, Patres Fratresque in Christo, eripere nobis, sibique vindicare e Collegio Romano anno 1621, vestrum nostrumque, piæ felicisque memoriæ Fratrem, Joannem Berchmans, in quem revera quadrare possunt illa Sapientis verba : *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores, translatus est; consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius* (1).

Etenim brevi illo ætatis viginti duorum annorum et dimidii spatio (e quibus quinque non integros in Societate vixit) ad eum attigerat perfectionis terminum, ut ad compunctionem sanctamque æmulationem exstimularet etiam seniores qui eum intuebantur Patres; juniores vero et sodales, qui eo et familiariter utebantur, et rara illa virtutum omnium exempla, quæ

(1) Sap. 4.

omnibus exhibebat, tanque accuratam disciplinæ, qua vivebat, observantiam animadvertebant, ad pietatem imitationemque excitaret. Primi illi surculi crescentis adolescentiæ argumento esse poterant, qualis futurus esset splendor ac claritudo ætatis perfectæ, quantamque promitteret fructuum ubertatem felix illa animi planta, jam tum tot odoratissimis virtutum floribus referta, pulcherrimeque adornata. Quamobrem, communis nobis omnibus fuit illius molestiæ sensus, quam attulit mors ejus improvisa, cum illum quasi inopinato oculis nostris eripi vidimus, sancta ejus suavissimaque consuetudine perpetuum orbati. Ne vero injuria temporum excideret angelici hujus adolescentis memoria, qui tanto inter nos exemplo atque approbatione vixerat, utque beneficio posteritatis extaret in Societate rerum ab eo laudabiliter gestarum notitia, R. Adm. P. Mutius Vitelleschi Ordinis nostri Præpositus Generalis, mihi in mandatis dedit, isthinc e Belgio ut peterem necessarias instructiones; hic vero eas conquirerem, inque vitæ historiam conflarem.

Comparatis omnibus hanc in rem necessariis, ad scribendum aggressus sum, interea dum Collegio præessem Rector; at mox animadverso, fieri omnino non posse, ut tot simul par essem administrandi muneris negotiis, simulque invigilarem historiæ scribendæ, cœptum opus in tempus aliud, locumque majoris quietis, distuli absolvendum. Jam, quando post alios præterea labores hunc etiam divina ope exhausi, ad vos, quibus merito debetur, mitto; quippe inter quos, eadem patria adolescens ille natus est, atque a vobis Romam ad Philosophiæ Theologiæque studia, in hanc Societatis Academiam allegatus. Narratio brevis erit, ut brevis quoque ætatis illius fuit cursus; stylus, pro more meo, simplex, naturalis, omnis artificii expers. Nemo umquam dubitare de

historiæ veritate poterit, cum centeni centenique etiamnum vivant, qui vivum cognovere; qui vero in Belgio et Romæ familiariter eo usi sunt, res ejus ita habent exploratas, ut semper, quoties usus erit, certissimum ei testimonium sint daturi. Præterquam quod ego, qui unam Dei gloriam, honoremque fidelis ejus Servi Joannis propositum habeo, gravissimum ducerem læsæ divinæ Majestatis crimen, si vel tantillum a vero recederem; cum sciam amplificationibus celebrationibusque nostris Deo opus non esse, ut mirabilis ac gloriosus appareat in servis suis.

Tripartito divido hanc narrationem. *Priore parte* describo eam quam in Belgio duxit vitam, ab incunabulis exorsus ad usque Tirocinii finem. *Altera*, complector id omne tempus, quod a suo e Belgis discessu studiis impendit in Collegio Romano, usque ad ultimum ejus morbum : atque hic intelligetur, quemadmodum non solum tenuerit constanter cœptam illam in Belgio vitæ laudatissimæ rationem, verum etiam auxerit deinde, magnis qua virtutum qua sanctitatis perfectionisque incrementis. *Tertia pars* continebit morbum ejus ac mortem, quam minutatim descripsi, ut vobis præcipue, qui eum dilexistis, placerem; sciens id esse amantium, ex S. Thomæ Angelici Doctoris sententia (1), non acquiescere levi aliqua cognitione, sed perfecta rerum omnium scientia, quæ spectant ad amatum, instrui velle : eaque re, narro etiam minima quæ in dies, in horas, adeoque in momenta fere singula contigere. Ad calcem subjungam res nonnullas litteris ab eo commendatas, quæ, instar *quartæ* cujusdam historiæ *partis*, nec ingratæ, nec inutiles erunt, uti spero, adolescentibus nostris.

(1) 2. 2. qu. 28. art. 2.

Quæcumque priore Parte narrantur, summa isthic fide collecta sunt a P. Antonio Sucquet(1), per id tempus Præposito Provinciali, et a P. Guilielmo Bauters, tum Rectore Collegii Lovaniensis : quorum uterque, anno uno singuli, ejus fuere in Tirocinio Magistri, quique, præter earum rerum scientiam quam haurire potuere conscientiam ejus tractando, amplius etiam hominum fide dignorum testimonia collegerunt. Res in Collegio Romano gestas, præterquam quod propria mihi scientia exploratæ sint, utpote qui ibi degebam, aut reperi ab ipsomet in tabellis complicatis scriptas (in quibus admirabili diligentia, diebus singulis, actus factaque sua adnotabat), aut a Patribus Fratribusque Collegii scriptas accepi : quorum multi jam, etiam jurato testimonio, Romæ apud sacros Quæsitores, de ejus sanctimonia miraculisque Gregorii XV mandato cognoscentes, eas affirmarunt.

Non erit hæc historia referta prodigiis, visionibus, vaticiniis, prædictionibus, quæ vulgo populum attonitum suspendunt; quia Superiorum obsequentia in præsens eas res prætermitto. Neque etiam spectabitur in illo insolita vitæ asperitas; sed actus solummodo perfectarum virtutum, quos quilibet imitari possit. Atque hi a sapientioribus Religiosorum Ordinum cultoribus, tanto habebuntur admirabiliores, quanto difficilius opere ipso exprimuntur; ut bene observatum scriptori Vitæ B. Laurentii Justiniani, qui cum de eo narrasset, quemadmodum Sanctus ille vir voluntariæ sitis patientia sese cruciasset, acerbum perpetuo frigus tolerasset, ad ignem numquam accedendo propius; numquam, ingre-

(1) Is natus est Mechliniæ anno 1574, obiit vero anno 1626. Ejus pietatem, zelum, labores, editos libros breviter descripsit P. Philippus Alegambe Bruxellensis, in *Biblioth. Script. S. J.*

diendo hortum, aeris se purioris haustu recreasset; assidue rectus stetisset in Choro, nulla re umquam nixus; hæc verba adjungit : « Videbuntur inexpertis hæ res exiguam mereri admirationem; sed vos, o præclari Pugiles Christi, qui quotidie facitis experimentum, judicabitis profecto, facto quam dicto eas esse admirabiliores. »

Certe Ludovicus Blosius, assentiente sibi gravium scriptorum turba (1), dicere non veretur : Illum Deo longe facere gratius, qui, minimis licet in rebus, sui ipsius domitor evadit ac victor, quam qui multos in vitam revocat mortuos. Ac quando semel de minimis rebus incidit mentio, videor non abs re hic illud præmoniturus : a multis vitio mihi versum iri, me in hanc historiam contulisse res actusve nimium tenues, aut nimis etiam Societati toti vulgares; perinde atque id sit adversus decorum peccasse, in historiæ gravitatem, præceptaque profanorum Auctorum. At eam ego censuram neque a piis scriptoribus, qui ad proximum in virtute formandum scribunt, neque a spiritualium rerum Magistris reformido. Si Joannes in magnam pervenisset ætatem, graviaque munera administrasset, referrem utique, qualem se iis cum virtute perficiendis præstitisset : at quoniam in ipsa adolescentia est exstinctus, omnique fere vitæ tempore latuit abditus intra Religiosæ domus parietes, sibi uni intentus, et communem nobiscum ducens vitam; non possum de eo nisi illos quos apud nos virtutum perfectionisque actus exercuit, commemorare, quique illam ætatem ac status sui conditionem addecebant; neque aliud existimo ab Historiæ scriptore desiderari.

(1) Julius Fatius de Mortif.; Jacobus Alvarez de Paz, tom. 2. l. 2. p. 1. c. 16; Jul. Nigronius Tract. de Cura minimorum.

Non erant apta puerilibus pastorculi Davidis humeris ingentia Saulis Regis arma; impediebant potius ne bello habilis esset, quam tutum eum promptumque præstarent : quare pedes, et instructus pastorali funda, stravit gigantem armatum; magisque illius nudi virtus, quam Saulis armis tecti (quem validus atque ad jussa promptus circumstabat exercitus) commendata jactatio fuit. Sacræ Litteræ depingentes mulierem fortem, non eam faciunt exercituum ductricem, aut Herculeorum domitricem monstrorum; sed committunt ejus manibus linum et lanam, colum ac fusum : res nempe feminis tractabiles, ut sunt fila, nendique certamen. Atque etiamsi non aliud fecisse referatur, quam digitos adhibuisse filo, et colui manum, affirmant nihilominus rebus magnis manum admovisse, cum ajunt : *Manum suam misit ad fortia.* Hoc ipsum nimirum quod nostra sententia vile adeo est opus, a Spiritu sancto æstimatur magnanimum illud facinus, quo uno celebrat mulierem fortem, aitque nullam ejus meritis dignam esse mercedem : *Procul et de ultimis finibus pretium ejus.*

Quomodo igitur non æstimabimus nos, si novitius, aut scholasticus Societatis, pro magno ducat ea quæ ad Tirocinium aut studia pertinent, magna exequi cura ac perfectione? Quis audebit ut minimos actus vilipendere, quos Deus æternæ gloriæ pretio compensatos, subinde etiam prodigiorum indicio gratissimos sibi esse demonstrat? Quæ vilioris pretii res, quam aquæ scyphum præbere? promittit tamen Deus immensam mercedem illi qui sui amore vel aquæ scyphum erogarit. Quid levius, atque mensarum micas manu colligere? scimus tamen ingentis miraculi approbatione (1) gratissimum Deo id

(1) Surius in Vita S. Odonis, 18 Nov., vel Acta Sanctorum, tomo 1 Januarii, p. 825, n. 9.

factum accidisse, qui viles illas miculas vertit in pretiosissimas margaritas, quibus sacer templo calix ad æternam memoriam deinde adornatus fuit.

Sed ut omittam cetera, adducor tamen exemplo scriptorum veterum, qui Sanctorum hominum vitas prodidere : quibus nihil antiquius fuit quam res quoque eorum minimas persequi stylo. Nesciremus profecto hoc tempore, notatum olim fuisse Abbatem Arsenium (1), quod inter sedendum, pedem unum alteri imposuisset, eaque de re Monachos anxie ad concilium retulisse, quo potissimum modo eam viri culpam emendarent; ignoraremus, quam graviter adolescens Sanctus Dositheus (2) a Magistro suo Beato Dorotheo reprehensus, ob indicatum affectum aliquem amoris cultello cuidam affixum, quando Superioribus suis dixit : videri sibi cultellum illum, quia acutus esset, idoneum maxime nosocomio fore, ad secandum ægrorum panem; fugerent nos denique res multæ similes, nisi historiarum scriptores eas commemorassent. Ego autem in eo me esse Religioso Ordine intelligo, in quo (quæ Dei gratia est) res parvæ, seu in bonum seu in malum, magni ducuntur, ut absoluti perfectique Religiosi efficiantur. Et S. Ignatius, Auctor Ordinis nostri, tanti res etiam exiguas fecit, ut in Modestiæ regulis certa det præcepta, quemadmodum nos deceat tenere aut movere caput, frontem, oculos, nasum, labia, manus, pedes, vestem denique, totumque corporis habitum moderari; ad quas minutissimas res descendunt viri sancti, ut hominem faciant omnibus numeris perfectum.

Liceat mihi ad extremum referre rem quæ et nostris erit consolationi, et certius mentem meam confirmabit. Dositheus jam semel dictus, adolescens domi nobilis,

(1) Butler, ad diem 19 Julii, tom. 10, p. 342, edit. Lovan. 1830.
(2) Acta SS. tom. 3 Februarii, ad d. 23, p. 383 n. 12.

insigni oris specie, tenera corporis constitutione, laute delicioseque educatus, cœperat languidis se dare voluptatibus, et vitam in sæculo projicere ad licentiam; sed visa aliquando picta in pariete Inferorum imagine, nescius quid ea portenderet, cum ad id temporis, neque Dei verbum audivisset, neque ulla fidei cognitione esset imbutus, sed prorsus rerum omnium divinarum ignarus, miraculo etiam edoctus est pœnas illas quas post mortem damnati luunt. Ea re consternatus, in Monasterium salutis se causa contulit; traditusque Beato Dorotheo in discipulum, ad insignis obedientiæ simplicitatisque formam ab eo eruditus fuit. Quinto circiter anno sanguinem spuere cœpit; et jam extremo vitæ periculo proximus, cum a Barsanuphio Abbate benedictionem, vitæque missionem petiisset, is ei respondit : « *Vade fili et siste te Sanctissimæ Trinitati, et Deum pro nobis deprecare.* »

Quibus verbis qui aderant Monachi non modo perculsi, verum etiam offensi, inter se dicere : Hæccine verba sunt quibus idonee juvenis aliquis confirmandus erat, qui vix quinquennio nobiscum vixit, anteaque licentissimam vitam in sæculo egit? Deinde, quid, amabo, præclare adeo inter nos gessit, quo fretus recta ad Sanctissimam Trinitatem tendere audeat, pro nobis oraturus? Numquam ille inediam, ut nonnulli nostrum, in biduum extraxit. Non solitus est extra ordinem vigilare, quin imo nec primus vulgo ad precandi officium convenire. Non fuit mirifice, quantum alii, in commentationum studio deditus; si sorbitiuncula aut pisces ægro apponebantur, iis vescebatur : quomodo igitur pro nobis oraturus proficiscetur? Attamen quamprimum spiritum exhalavit, Deus, ut merita ejus illustraret, Monachorumque illorum fastidium deprimeret, videndum illum obtulit sancto cuidam ejus loci seni, glorio-

sum, beatum, æqualemque splendore sanctissimis illius Monasterii Anachoretis vita functis, in eorum cœtu pari gloriæ gradu considentem. Intellexerunt denique Monachi admoniti erroris sui, tantorum meritorum causam fuisse, quod obedientiæ studio invictus, nihil umquam fecisset arbitrio suo, sed assidue morem gessisset Magistro suo Dorotheo, quem Dei scilicet loco duxisset; etiamsi cetera neque asperitatibus, neque vigiliis insolentioribus sese afflictasset.

Ajo igitur in rem nostram : Joannes non devius, sed rectam viam insistens, adolescentulus Societatem ingressus est : in qua vixit annis quinque ut Dositheus, et mortuus est cum fama sanctitatis. Placuit Deo, post mortem, visis miraculisque (ut post referetur) gloriam quam in cælo nactus est, ostendere, atque his etiam in terris celebrare : quæ res nobis senibus, qui vitam ætatemque in Religiosa familia consumpsimus, admirationem parit. Si causam investigamus, cur Deo placuerit hoc modo illius gloriam propagare, qui (quod nos quidem sciamus) castigatione corporis, orationibus, operibusque extraordinariis ceteros non superavit; necesse est hanc esse causam pronuntiemus, quod communi in vita regularum omnium mandatorumque fuerit servantissimus, volueritque Deus hoc indicio communem vitam nostram mirifice approbare. Unde et tria ista conficio : Primum, magnam esse illam Instituti nostri gloriam, de quo dici possit, per se, si rite servetur, sufficere, ut hominem adducat ad fastigium sanctitatis, faciatque participem gloriæ Dei, re nulla extraordinaria accersita. Alterum, magnam esse felicitatem nostram, qui in ea Religione vivimus, cujus solius regulis, communique tuenda disciplina in viros sanctos evadere possimus. Tertium, si via ad sanctimoniam indipiscendam, est communis illius vitæ et regularum perfecta

observatio, qualis in Joanne enituit, prorsus esse e re nostra, scire minutatim quo ille modo eam tenuerit, ut certius imitari queamus.

Has ob res existimavi, e gloria Dei, laudeque præstantissimi hujus Adolescentis, ac bono hominum Societatis nostræ facturum, si historiæ huic minimos etiam ejus actus insererem; atque ut ego id sciens prudensque mente optima feci, ita Deo probatum iri spero, facturumque compotem fructus in hac vita, et in altera præmii, per suam erga me miserationem.

Accipiant RR. VV. hoc quantulumcumque laboris, in signum ac tesseram observantiæ atque amoris in se mei, Deumque mihi propitient sacrificiis et precibus suis. Romæ, 15 Augusti 1624.

VITA

V. JOANNIS BERCHMANS,

SOCIETATIS JESU.

PARS PRIMA.

DE ORTU, EDUCATIONE ET VITA V. JOANNIS IN BELGIO ACTA.

CAPUT PRIMUM.

Ejus patria ac parentes.—Pater ejus, uxore mortua, sacris initiatur. — Indoles et futuræ sanctitatis indicia. — Progressus in litteris. — Mentis puritas. — Innocentia baptismalis servata. — Prima Communio. — Studium Orationis. — Affectus in B. Virginem. — Obedientia et diligentia in studendo. — Multus in templo, nullus in foro. — Rhetoricam audit in collegio Mechliniensi Societatis Jesu. — Quomodo illic se gesserit. — Adscribitur sodalitio B. M. Virginis. — Varia pietatis ejus exercitia. — Opinio sanctitatis ejus. — A Deo ad religiosam vitam invitatur. — Quid egerit ad cognoscendam divinam voluntatem. — Ratio conservandæ vocationis.

Joannes Berchmans, piæ felicisque memoriæ, Diesthemii (1) in Belgis, Brabantiæ oppido, natus est 13 Martii anni 1599, qui sabbati dies

(1) Lingua patria *Diest*, leucis horariis 5 a Lovanio, 10 a Bruxellis. Domus in qua V. Joannes habitavit etiamnum Diesthemii conspicitur, fuitque a R. D. Decano non ita pridem empta, ut nihil in posterum pateretur detrimenti. Cubiculum in quo natus est V. Dei Servus, integrum uti erat dum in vivis ageret, summa religione servatum est et frequenter a Diesthemium advenientibus invisitur.

erat, Virgini utique Matri sacer. Baptismi mysteriis initiatus Dominico sequente, die 14 mensis ejusdem, sponsoribus appellatis Adriano Claes et Gertrude Van Steyvort, a quibus ei nomen Joannis inditum fuit : sive quod idem esset et avitum et paternum nomen, sive quod id filio imponi optaret mater, religione quadam nominis sui, quæ Elisabeth (ut Joannis Baptistæ mater) vocabatur. Parentes ei fuere moribus conditioneque honesti, sed virtutibus cælestibusque bonis, quam fortunæ facultatibus, affluentiores. Liberorum, quos quinos propagarunt, mares nempe quatuor, femellam unam, Joannes natu major fuit. Ejus mater Elisabeth Van Hove, femina non minus pietate, quam constanti septennalis morbi tolerantia nobilis, extremum vitæ diem clausit pridie calendas Decemb. anno 1617, quo tempore Joannes Societatis Jesu tirocinio Mechliniæ erudiebatur. Ejus pater Joannes, defuncta uxore, sacris se commentationibus exercuit Lovanii in Collegio Societatis; mox sacerdotio inauguratus, canonicatum in S. Sulpitii (ædc Diesthemii principe) est adeptus. De Joanne commemorant (quod argumentum egregiæ indolis esse possit) numquam in infantia flevisse; numquam matri, aliisve qui cum educabant, fuisse gravem; ne tum quidem, cum suum infantis caput faciesque, e scabie duxisset crustam.

A parvis cœperunt cum parentes in ludum litterarium mittere, ut perinde atque ipsi pueritiam ejus religione christianisque virtutibus domi erudierant, ita in scholis magister adolescentiam ejus primis grammaticæ rudimentis informaret. Annorum septem natu erat cum avia advertens puerum se multo semper mane eripere lectulo, interrogat, ecquid ita sollicitus sit. Tum ille se binis ternisve sacris prius ministrare respondit, quam ad scholam iret, ut bene sibi studia vertant. Quantumvis puer numquam rem ullam puerilem designavit, sed instar alterius cujusdam Tobiæ, gravitatem, quam animo tenero præceperat, semper præstitit. A scholis domum reversus, si forte pulsata diutius janua excluderetur, non ille impatientius aliorum puerorum more strepitum machinari, sed senili quadam maturitate in vicinam ædem Rosarii persolvendi causa abire consueverat. Cum ægra mater annorum aliquot invaletudine teneretur, ipse necdum novem annorum puer, verbis eam tam concinnis, tam appositis, tantoque affectu plenis consolari instituit, ut attonitas haberet circumstantium aures.

Decennium ingressus, præstabat jucunda quadam acceptissimaque oris forma, ac tanta in eo comitas ex vultu, gestu, sermone, consuetudine eminebat, ut jam tum inde honestissimi quique, præclara ejus indole capti, eum sibi dari a pa-

rente in familiam flagitarent. Ac sive ea fuerit pueri hac ætate natura sive virtus, non ferebat, vel a sacris Deo Virginibus, vel ab feminis ullis, virisve (nc vestium quidem suarum, dum dissutæ essent, sarciendarum causa) sese attrectari. Puer annorum decem alteri Magistro (1) a parente commendatus, tantos in grammaticæ studiis habuit progressus, ut brevi et post se relinqueret æquales, et reliquos, qui ætate scientiaque præcellebant, assequeretur. Vel semel rem aliquam audivisse, vel legisse, ut eam memoria retineret, retentamque memoriter pronuntiaret, id scilicet satis Joanni erat; ita in memoria ejus vel leviter lecta auditaque insidebant.

Hanc ob rem cum Magistro tam esset charus, ut prodigii instar eum ipse celebraret, aliisque proponeret in exemplum; nonnumquam ita ab eo apud patrem est collaudatus, ut is gaudio perfusus, et clerici veste Joannem (quam diu ille optaverat) prætextæ instar honoraret, et in contubernium traderet D. Petro Emmerico Præmonstratensi Religioso, Templi Beatæ Virginis (2) Diesthemii per id tempus curioni, qui

(1) Valerio Van Stephout.

(2) « In hac Mariana æde, qui et in hoc oppido natus est, » (inquit Fr. A. Wichmans, Canonicus et ipse Ordinis Præmon- » stratensis), pie admodum, et frequenter famulatus fuit, » Venerabilis et beatæ memoriæ Brabantus noster, Joannes

plures domi juvenes erudiebat, cujus convictu Joannes triennium deinde usus est. Adeo se ad obsequium hujus Religiosi fingebat, ut eum parentis loco veneraretur, ejusque lateri perpetuo affixus, vix ad parentis domum, etsi haud longe distantem, nisi perraro, digrederetur. Et vero jam tum, quanta solitudinis dulcedine caperetur, apparebat; cum et subinde colludentium collegarum circulis dextere subduceret sese, abderetque in Museum ad legendum aut orandum; plane ut sæpius Moderatores duxerint eum cubiculo extrahendum in lusum, ne studio orationibusque crebrioribus mentem fatigaret. Neque tamen sodales, quibus jucundissimus erat, si secum non luderet, offendebantur; quod et virtutem ejus nossent, et ob sanctitatis studium abstinere eum lusu existimarent.

Attigerat undecimum ætatis annum, cum per occasionem festi cujusdam solemnis vertentis,

» Berchmans, eximius plane Deiparæ cultor et Angelicus Adolescens, cujus religiosa erga B. Virginem obsequia, superius » pluribus recensui; et satis cuique tum per Belgium, tum per » universam Italiam notum est, quanta nuper an. 1621 opinione » sanctitatis obierit in urbe Romana; ad quam illum tum verbo » tum exemplo non parum formavit ven. noster Conf. Dom. » Petrus ab Emmerick, dictæ Ecclesiæ ante annos aliquot se» dulus Pastor, cui dudum (per triennium scilicet ut P. Ceparius » notavit) contubernalis fuit et a domesticis ac sacris obsequiis. » Hucusque prædictus Canonicus Wichmans in *Brabantia Mariana*, p. 516, quam paucis annis post mortem V. Servi Dei in lucem edidit.

deliberare cœpit Joannes de adeunda, qua huc usque abstinuerat, Synaxi sacra; habitaque diligenter in conscientiam quæstione, ad Superiorem adit (quamquam domesticus ejus), rogatum ut peccata excipiat sua. Religiosus ille curio non leviter sensit columbinæ illius simplicitatis se candore excitari, præcipue quod id nemo alius contubernalium fecisset : auditaque confessione, innocentissimum purissimumque ejus animum reperit, ut testetur etiamnum vivus incolumisque, dum hæc scribo, dubitasse se tum, satisne suppeteret erratorum, quæ levem saltem materiem absolventi præberent; adeo hucusque se procul habuerat omni labe vitiorum. Quod vero deinceps ad extremum usque vitæ diem servarit intactam, puramque omni mortali flagitio prætextam innocentiæ in Baptismo acceptæ, præterquam quod confessionum ejus arbitri (uti alibi dicetur) asseverent, ipse quoque testatum schedio scripto reliquit, in quod breviter, gratitudinis ergo, collata sibi a Deo beneficia, his verbis conjecit : *Fecit Christianum, socium Jesu, amicum, sponsam, conservavit sine peccato mortali.*

Atque hæc causa fuit, cur initio sui in Societatem ingressus, dum spiritualibus primum exercitationibus coleretur, meditando de peccatis propriis (quorum reputatione, aliorum obdurata pectora in pœnitentiam, ac dolorem et plan-

ctum, pudoremque molliri solent) ipsesearidum siccumque, et omnis expertem motionis sentiret; quod alias quoque semper quoties de peccatis meditando cogitaret, evenisse sibi scriptum in hæc verba reliquit : « In exercitio de pecca» tis in sæculo, totus fui siccus et aridus, et sine » ulla commotione. » Et dum iterum Romæ eadem exercitia obiisset, ita scribit : « Successit sine ulla prorsus commotione.» Cum denique tertium ac postremum sese iis imbuisset. « Succes» sit, ait, sine ullo affectu, et in primo et » secundo puncto, magnam passus sum desola» tionem. » Nempe, quod nihil admodum reperiret, cujus, uti diximus, admissi pœnitere, culpamque deplorare posset. Felicem profecto adolescentulum, qui divino favore gratiaque nixus, didicerit virtutum ædificium, firmo innocentiæ in Baptismo datæ fundamento imponere, idemque mox per eos, qui deinde visi sunt gradus, in tantam exstruere altitudinem perfectionis!

Instituta, quam diximus, confessione, sacram Eucharistiam sumpsit e manibus ejusdem Religiosi sui Moderatoris, qui Joannem in ea sanctissimi epuli sumptione affirmat adhibuisse interiorem quamdam animi collectionem, externamque compositionem plane singularem, atque etiam spirasse quid nescio majus augustiusque humano. Et jam inde cœpit continenter

expiare sese octonis quibusque diebus ; quindenis autem, festisque Christi ac Virginis Matris, animum præterea cælesti pabulo recreare. Illud etiam constanter tenebat, ut quoties Communione reficeret sese, prius Superiorem suum culparum veniam oraret, quotidieque temporis aliquid impenderet confessioni proxime instituendæ.

Enitebat in puerili illa ætate senilis quædam maturitas actionum, puero fere immatura ; tantaque erat sermonis parcitas, ut non nisi interrogatus responderet, ac tum etiam considerate. Præbitione dramatica, qua Susannæ castitas edebatur, Joannes Danielem venustissima concinnitate gessit ; aliasque sæpe magno auditorum plausu atque admiratione recitavit. Pacem colebat tam sancte, ut numquam cum aliquo contendere sit auditus : si vero qua in domo (ut solet levior pluma apud pueros esse gratia) sodales suos audisset cum aliquo rixam simultatemve suscepisse, ab eorum protinus societate discedebat. A sodalibus autem non solum diligebatur, verum etiam in tanta habebatur veneratione, ut ab eo se moneri regique perinde permitterent, ac si summam in eos auctoritatem obtinuisset. Tantum potest polletque virtus, ubi ad plurium existimationem dimanavit. Magno sensu pietatis concionantes audiebat et sacrificantibus ministrabat, rasamque in vertice

coronam, quamvis plerisque neglectam, solus fere gerebat. Pallii sui collare, cum erectum stare imitatione sacerdotum ejus temporis voluisset, socius admonuit, ut replicando deprimeret: ille subridens, rem mediam atque indifferentem esse respondit. Sacerdotibus numquam adstabat capite operto. Et quoniam Religiosus ille Rectoraderat contubernalibus perpetuo ad mensam et focum, ipse numquam, ut caput operiret, poterat adduci; vixque vel ob hiemis asperitatem, tegentibus licet aliis, vel a Superiore jussus, tegebat. Honorem observantiamque tantam adversus sanctissimum sacerdotum ordinem adhibebat.

Quamdiu paterna in domo pueritiam egit, non temperavit sibi, quin liber semper aliquis super mensa ad legendum esset præsto. Inter contubernales, dum accumberent, agebat anagnosten, delectabaturque maxime aut legendis Proverbiis sacris, aut Sanctorum rebus gestis, aut meditationibus Passionis Christi. Animo inter edendum tam erat suspenso, ut socii, per facetiam, Peregrinum illum appellarent; et certe perexigui semper cibi potusque fuit. Suopte ingenio, et non alio quam doctore Deo, id ætatis puer meditari didicit cruciatus Domini nostri Jesu Christi. Ludentibus sodalibus, semel in ligneam arcam, dimensam ad longitudinem staturæ suæ, sese inclusit, latuitque duabus

horis occultus; quæ res cum animum Superiori aliisque advertisset, id alias sæpius ab eo factitatum, secretæ commentationis studio, crediderunt. Consueverant hujus contubernii alumni omni vespera, appetente nocte, præsente Superiore, orationes aliquot contenta recitare voce, nec prius cubitum in conclave concedere, quam petita benedictione. Joannes, ut oraret scilicet diutius, et ceteros antevertebat, et sæpius non detractis vestibus, super lectulum se conjecisse compertus est.

Ferebatur hoc tempore præcipue in Beatissimæ Virginis amorem, et quoties cum Superiore suo in Collem-Asperum (1) qui horæ iti-

(1) Erigebatur illic tum temporis ab Archiducibus Alberto et Isabella splendidum templum, quod anno 1609 cœptum erat exstrui et consecratum est anno 1627 mense Junio, præsente eadem Isabella (nam Albertus obierat) et Marchione Spinola Belgii tum Prorege, cum aula tota. Prædicti Archiduces Virginem Aspri-Collis seu Montis-Acuti (vulgo *Sherpenheuvel*, gallice *Montaigu*) quotannis visitabant, ejusque templum supellectili sacra valde pretiosa, quæ hodieque illic visitur, instruxerunt. Quorum exemplo Maria-Elisabetha, Austriæ Archiducissa et Belgii Gubernatrix, anno 1738 die 15 Junii cum aulicis omnibus eam itidem visitavit, eique lampadem argenteam uncialum 600 dono dicavit. Affluunt illuc quotannis multæ fidelium processiones quas vocant, ex longinquis urbibus, Colonia Agrippina, Aquisgrano, Trajecto ad Mosam, Bruxellis, Antverpia, Mechlinia, Lovanio aliisque. Scribebat olim Justus Lipsius in uno Nativitatis B. M. V. festo ad 20,000 hominum fuisse observata; hodiedum vero nullus est in anno dies quo locus hic sacer a multis peregrinantibus non visitetur, et tempore æstivo circa præcipua

nere Diesthemio abest, ad eam salutandam ibat, silentio incedebat meditans, numeransve Rosario preces; sæpissime vero in domus angulis reposita jentaculi frusta reperta sunt, quibus ille, in gratiam Virginis, genium suum defraudarat. Sic dicto audiens, sic studiis erat addictus, ut vix aut a Superiore aut a Magistro fuerit vel leniter inflectendus, nedum reprehendendus; quæ omnia juratus affirmat Superior ejus P. Petrus Emmericus. Amplius vero, is quo Magistro utebatur, magnas addit ingenii ejus ac docilitatis laudes, sed multo maximas morum, Christianarumque virtutum :

« Habebat, inquit ille, innocentiam puritatemque tam singularem, ut ne nomen quidem nosset eorum vitiorum, ad quæ proclivis ferri hæc ætas solet; nec secus ac pestem, amicitias eorum, qui licentiores erant, abhorrebat, ne qua mentem labecula contaminaret; scholisque egressus, in studia

quædam festa tantus est fidelium concursus, ut nisi videris, credere vix possis. De Virgine Aspri-Collensi post plures alios copiosius et accuratius scripserunt Justus Lipsius anno 1605, Puteanus an. 1622, Wichmans (qui vetus Manuscriptum anni 1305 a Sacellano Sichemiensi exaratum præ manibus habuit) in sua *Brabantia Mariana* an. 1633, Sanderus an. 1659; hos secuti sunt scriptores vernaculi, quorum accurationem commendat Feller in *Diction. Hist.* art. Lipse (Juste) et in *Dict. géograph.* art. Montaigu; demum nuperrime P. Pouget S. J. in opere : *Histoire des principaux sanctuaires de la mère de Dieu.* Lyon 1847, in 12°, tomo tertio, pag. 17-35.

» statim se abdebat. Nusquam atque in templo » frequentior, nec usquam quam in foro ra- » rior. Ex quo cultum et pietatem in Virginem » sanctissimam didicerat, ex eo quoque a Vir- » gine videbatur invicem in curam patroci- » niumque susceptus. Cum primum versus la- » tinos pangere cœpisset, permissus, inquit, a » me est, pro libitu argumentum sibi sumere, » et ille de Jesu nomine poëma facere instituit; » quo tantam affectuum teneritatem expressit, » ut haud obscurum indicium fecerit aliquando » in Jesu societate se futurum. »

Archipresbyter Diesthemiensis cum semel accurate interiora adolescentuli hujus secum reputasset, hoc de eo eximium testimonium dixit : « Angelum fuisse Joannem, in eoque Angelicam » castitatem resplenduisse ; atque ad summam » dicturos omnes, in Joanne fuisse virtutum » omnium plenissimum thesaurum. »

Ex hisce testium affirmationibus, quanta fuerit Joannis ea ætate bonitas innocentiaque, quod ingenium, quæ de eo exspectatio, facile poterit æstimari. Tamen quod parentem deficerent facultates, quibus diutius studiorum ejus impendia sustentare posset, pater ad se vocatum coram matre admonuit, videri sibi e re facturum, si ad artem aliquam faciendam animum cogitationesque transferret, quando sibi in studia ejus longius promovenda non satis opum

suppeditaret. Percussus eo nuntio Joannes, consiliis suis utique vehementer adverso, ad patris matrisque genua abjectus, tensis manibus supplex obtestari, interposito Dei amore, cœpit, per eos sibi liceret in Ecclesiasticorum numerum referri : id quod, etiamsi sine studio litterarum fieri non posse, satis intelligeret; ne tamen paternam domum nimio gravaret sumptu, se panis atque aquæ victu contentum fore pollicetur, si modo a proposito non avocarent. Quæ verba tanto cum sensu constantiaque est prolocutus, ut iis commotus pater, non jam studia ejus auderet ultra retardare, sed de eo quoque ad aliquem applicando agitaret, cui et ipse serviendo, operam simul locaret, et a qno studendi invicem acciperet facultatem. Ac postquam paucos dies Decano Diesthemiensi Joannem pater collocasset, Mechliniam eum ablegavit ad D. Joannem Freimont, Canonicum templi Metropolitani, qui eum filii instar charum semper habuit, studendique copiam fecit.

Mechliniam concessit Joannes anno 1613, nondum expleta ætate annorum quatuordecim, ejusdem jam dicti heri contubernio usus dum in Societatis tirocinium adlegeretur. Frequentavit tantisper humanitatis scholam antiqui in ea urbe Collegii, donec instituto Societatis Gymnasio, ad illud, non sine Dei (ut ipse ajebat) singulari provisione, se transferret; fuitque, examine

facto, idoneus audiendæ Rhetoricæ judicatus, et Rhetorum in classem transscriptus.

Hic demum adolescentis indoles elucere, seseque supra prima virtutis elementa publicare; et qui nuper paterna in domo, inter accumbendum, perpetuo librum habuerat ad manus, hic noctes totas sine somno in studiis traducere, sciendi cupidate; ac si qua per diem cum hero prodeundi necessitas coegisset, libellum una secum conferre, temporis vindicandi causa. Admirabantur in eo omnes incredibilem morum cum insigni specie conjunctam suavitatem, modestiamque tanta bonitate mixtam. Non dedignabantur juvenes etiam nobilissimi cum eo consuetudinem contrahere: quinimo et honorabant, quantumvis opibus et conditione inæqualem. Si forte solutior sermo aliquis inter commilitones incidisset, atque ipse forte intervenisset, statim silebatur, aut ipse pudore suffusus discedebat, perinde ut de S. Bernardino Senensi narratur. Puer quidam exstitit præter ceteros ad petulantiam educatus, qui convitiis eum sæpius injuriisque figebat; sed optimus Juvenis postquam injurias omnes summa cum animi demissione tolerantiaque tulisset, nulla umquam responsione pueri procaciam fregit, nullas umquam apud alios querelas deposuit.

Initio sui ad scholas Societatis accessus, omni

statim contentione procuravit in Virginis Beatissimæ Sodalitium admitti; in quod summo omnium consensu et approbatione relatus, mox insigni sua industria, jucundissimaque consuetudine, quam plurimos in eumdem cœtum pellexit, non e suis modo commilitonibus, sed ex aliarum etiam scholarum alumnis; ajebatque se illis affici præcipuo quodam amore, quos sciret Matri sanctissimæ esse devotos. Omnibus in hac Congregatione præluxit exemplo bonitatis, observantiæ, religionis. Sabbati diebus omnibus, aliisque Virginis pervigiliis, jejunio eam venerabatur. Quotidie proprias ei preces e Psalterio D. Bonaventuræ persolvebat. Principio cujusque mensis Directorem Congregationis interrogabat, cui vitio præcipue emendando se juberet incumbere, quo cultu Beatissimam Virginem, mensisque currentis tutelarem Sanctum demereri. Per eos dies commentationi plusculum dabat sese, et quidquid temporis litterarum studio superabat, in orando consumebat. Omnis vero domus angulus, quem vacuum primum offendisset, ei pro oratorio erat; nec semel a domesticis post noctis medium, nudis in solo genibus orare, post orationem humi somnum capere, deprehensus est. A sacra Communione duas tresve horas orando extrahere consueverat. Qualibet feria sexta, sub tenebras vespertinas, ne a quoquam nosceretur, plantis nudis viam,

qua sanctæ Cruci supplicatur, per varia stationum loca, in memoriam sacratissimæ Passionis obibat; quod ut religiosius secretiusque faceret, soleas inferne succiderat calceis, ut dum plantas soli saxorumque asperitate affligeret, tectis superne pedibus, obviorum oculos falleret.

Quidam ex collegis ejus, dum Mechliniæ studeret, qui animum deinde appulit ad religiosos Præmonstratenses, jam tum certam adeo de Joannis sanctitate opinionem conceperat, ut etiamnum religiose asservet, sacri instar pignoris, Hymnum cujus initium est, *Salve Regina*, latinis ab eo versibus scriptum. Tam prompte alacriterque Moderatoris sui verbis obtemperabat, ut (quod quidam de eo Pater dixit) videretur Angelus esse Tobiæ ad quævis accipienda imperia expeditus. Aliquando ab hero suo Canonico Lovanium Mechlinia (quod iter est leucarum quatuor, seu duodecim milliarium Italicorum) mittebatur a viatico satis instructus. Ille pedibus iter emensus, negotio administrato, Mechliniam eodem die reversus est, confecto celerrime 24 milliarium spatio, nullo aut Lovanii, aut per viam, cibo potuve gustato, aut teruncio ullo viatici nomine expenso. E rei cujuslibet aspectu fructum capere nitebatur. Erat hero suo domi canis anglicus quem cum in aquestrem venationem educaret, ostenso panis frusto docebat transnare flumen, tantillaque mercede fatigare sese, observare

nutum, ac jussis herilibus obedire. Hinc discere se ajebat Joannes, quam alacriter obediendum Deo sit, æterna nobis præmia pollicenti. Canonicus, explorata perspectaque tanta Juvenis bonitate, eum filii instar amabat, neque lacrimis temperare poterat, quoties mentio ejus incidisset.

Rem de eo narrat, qua intelligi possit, Joannem, ut erat Angelicis moribus, ita suum quoque Angelum habuisse quasi in potestate, promptumque ad obsequendum. Is etenim, etsi ab aliis Joannis nomine invocatus, præsentibus periculis eos videtur liberasse. Ibat cum Joanne suus herus ad visendam Aspricollensem Virginem, circa Pentecostes festum. In reditu, quod iter Arschotum versus ignorarent, viæ ducem unum, deinde alterum, utrumque desertorem, male expenso stipendio elegere. Ergo errabundi per silvas ibant incerti viarum, quas latrones recentibus insidiis cædibusque habuerant infestas. Simul subita tempestas fulmine tonitruque concitata, aberrantes consternabat.

Cum sic horas aliquot vagi per nemus errassent, tandemque in tramitem tam angustum descendissent, ut vix equo singulari transitus pateret; perculsus Canonicus desilit ad pedes, sublevatoque in equum Joanne, eum subsequitur pedes. Ut autem periculorum anxietas flagrantissimas laborantibus subministrat preces, Cano-

nico in mentem venit, salutem suam tutelari Joannis Angelo commendare, quod plus apud Deum posse preces illius crederet, quem Angeli vice ipse suspiciebat. Res mira, vix preces fuderat, cum horrendum insonuit tonitru, fragore tanto, ut ruere cælum videretur; ac tum ille vibrati fulminis jactum pertimescens, oculos attollens cælo, Deum scilicet propitiabat; cum ecce videt præcipiti rupe devolvi rusticam feminam : quæ mox specie felis circum volvebatur pedibus Joannis, inconditoque corporis motu atque ardentibus oculis eum contra intuita, vociferans, collumque contorquens, subito evasit in fugam.

Tum repente commutata tempestate, serenantique luce, summæ se turris apex, quo tendebant, ostendit. Huc ubi pervenere, intelligunt maleficam haud ita longe habitare, quæ magicis incantationibus tantam potuerit concitasse tempestatem; quo audito, Canonicus persuasum habuit, veneficam illam ab Angelo Joannis custode (cujus ipse præsidium implorarat) ita ad ejus pedes fuisse dejectam, ut nimirum appareret, tam sævæ periculum tempestatis Joannis præcipue fuisse meritis depulsum.

Jam virtus Joannis in eam perfectionem adoleverat, ut gratior indies divinis oculis arrideret, et cælesti quoque Majestati placeret providere, ne formosum adeo lilium inter pungentes

sæculi spinas languendo emorerctur, sed in Religionis paradisum depangendum transportaretur. Hic vero Deus, orationis sanctioris præsidio, in cognitionem vanitatis mundanæ rerumque caducarum adductum, deterritum simul sæculi periculis laqueisque, et ostensa Religiosi status securitate, exsultantem novis accendit desideriis, totum se consecrandi vitæ Religiosæ. Ille autem qui semper internis Dei vocibus morem obsequentissime gesserat, neque umquam divinis imperiis repugnarat, aurem promptissime accomodavit tam sanctæ inspirationi; quinimo studuit salutarem hunc affectum fovere in pectore, quem benignissimus Creator ac Dominus dignatus fuerat in eo inflammare. Hanc ad rem legendis S. Hieronymi epistolis, Vitaque B. Aloysii Gonzagæ, fatebatur se plurimum fuisse adjutum : atque epistolæ quidem in eo accenderant vitæ sæcularis deserendæ, Religionisque ineundæ cupiditatem; Vita autem Aloysii, inflexerat ad eligendam præ reliquis Societatem.

Verum ut securius certiusque acquiesceret divinæ voluntati, tria præterea facere instituit : Primum, auxit orationem, duplicavit asperitates corporis, frequentationemque sanctissimæ Eucharistiæ; quin etiam deinde quothebdomadis confessione communioneque bis uti cœpit, Deum obtestando, ut in id se vitæ genus impel-

leret in quo divinæ suæ Majestati obsequium absse reddi præcipue placuisset. Alterum, cum in peculio haberet viginti quinque florenos, tres in partes eos divisit : unam pauperibus erogavit; alteram Lovanium misit, ut in Æde S. Petri ad aram Marianam certa sacra fierent; tertiam in Asperum-Collem, ad exorandam sacris totidem Beatissimæ Virginis opem, transportari curavit. Illud denique tertium, hanc novam suam instinctionem vocationemque conscientiæ suæ moderatori indicavit, implorans opem orationum ejus ac directionem; adeoque se illi totum permisit, ut promitteret, ab ejus consilio ne tantillum abiturum.

Brevi manifestum exploratumque bono Juveni fuit, quod a Deo in Societatem vocaretur; neque exiguo illi incitamento fuere utilitates, quas Societas ipsi Belgio (1) adfert, labo-

(1) Placuit hic nonnullos adscribere qui tum temporis concionibus sacris, libris edendis, aliisque laboribus magno fructu vacarunt, suo quidem ævo illustres, nunc autem non ita vulgo noti; quales fuere Franciscus Costerus Mechliniensis, Thomas Saillius (Sailly), Carolus Scribani et Hermannus Hugo Bruxellenses, Nicolaus Romæus et Nicolaus Susius Brugenses, Heribertus Rosweydus Ultrajectinus, Joannes David et Judocus Andries Cortraceni, Petrus Halloix Leodiensis, Leonardus Lessius ex Brecht in Campinia oriundus, Martinus Becanus ex Hilvarensbeek in Brabantia Septentrionali, Andreas Schottus, Martinus Delrio, Jacobus Tirinus (le Thiry) Antverpienses, aliique. Cfr *Bibliotheca Scriptorum S. J.*, vel *Imago primi sæculi S. J.*, libro sexto, qui historiam provinciæ Flandro-Belgicæ complectitur, a pag. 861.

resque quos in reducendis ad Ecclesiæ Romanæ castra fidemque hæreticis suscipit ; majora denique, quæ in vicino Angliæ regno a Patribus, cum sanguinis etiam ac vitæ profusione, carcerum durissimorum squalore, tormentorumque acerba perpessione, tolerari ac patrari audiebat(1). Concepto igitur proposito, Deoque facta sui in Societate consecrandi oblatione, meriti majoris ergo ac firmitatis, hoc propositum suum voto sanxit. Narrat, qui animo ejus dirigendo præerat, Joannem, quoties secum de hoc suo decreto tractaret, solitum promittere, conaturum se evadere in eximie sanctum ; quod diceret nempe, fieri non posse, quin tantis, quanta sunt in Societate, præsidiis, ad summam absolutamque sanctitatem pertingatur ; se vero, quoties ab ejus colloquio discederet, abiisse persuasum, aliquando Joannem, sicut dicebat, sanctum revera fore, quod tanta, cum id pollicebatur, fidentia constantiaque esset promittentis. Et quoniam verebatur vocationis beneficium amittere, si vel tantillum fervor ille relanguisset, quem tum illi Deus injecerat, illum suum conscientiæ moderatorem solito sæpius frequentabat, omnem noxiam conversationem subterfugiebat, numquam statas preces, soli-

(1) Horum plurium violentam mortem descripsit P. Mathias Tanner in opere cui titulus : *Societas Jesu usque ad sanguinis et vitæ profusionem militans. Pragæ*, 1675, *in-fol.*

tave pietatis officia intermittebat; atque ut Beatissimæ Virgini vocationis hoc beneficium referebat acceptum, eamdem, id sibi ut perpetuaret, impetrarctque ejus persequendi gratiam, obnixe precabatur.

Cum ad decimum fere et septimum ætatis annum attigisset, seu ut quamprimum Deo sese consecraret, seu ne parentes frustra quidquam de se statuerent, decrevit suam illis voluntatem indicare litteris, simulque significare, facto abs se voto id propositum esse sancitum. Hac autem formula eas litteras signavit : *Filius Jesu Christi et vester Joannes*. Acerbus patri matrique accidit tam insperatus nuntius, cum, quod eum, ut prosperrimum nuptiarum suarum votum, amarent unice, tum etiam quod spes omnes suas, hac orbati prole, collabi augurarentur, in cujus felicissimis auspiciis universa domus suæ incrementa collocassent. Obtinuere parentes a Patribus Capucinis, ut vocationem ejus examinarent; missusque ad eos Joannes haud gravate ivit, atque ad objectas sibi in audiendarum confessionum munere, aliisque id genus officiis difficultates, tam apposite respondit, ut et ipsi acquiescerent, et Juveni sua constantia gratularentur. Religiosus alius ex ejus cognatis, sui oblitus et matris forte obsequentia ductus, ut constantiam adolescentis a proposito flecteret, sæpius etiam domum ejus veniebat; ac

principio quidem Joannes ferebat patienter omnia, hominemque etiam observabat; at tandem sermones ejus non ferens, sumpto etiam majore spiritu, apprehensum protrahit ad limen domus, et, En Pater, inquit, si aliud nihil vis, en januam, abi qua venisti. Quibus ille verbis pudefactus, deinceps ejus tentandi fiduciam dimisit.

CAPUT SECUNDUM.

Joannes in Societatem admittitur. — Virtutes ab eo in Novitiatu exercitæ. — Novitiis præficitur. — Perpetua oris hilaritas. — Nulla in eo culpa inventa, nec virtus desiderata. — Multus est in adorando SS. Eucharistiæ Sacramento. — Oratio ejus et cum Deo familiaritas. — Vota post primum annum Novitiatus privatim nuncupat. — Deo virginitatem jam a puero consecrat. — Ejus perfecta obedientia. — Admiranda castitas. — Mortificatio et abstinentia. — Zelus animarum. — Aspectu suo ad virtutem invitat. — Testimonium Magistri Novitiorum. — Qua fide hæc vita scripta. — Aliud testimonium.

Joannes igitur superatis pertinaci fere perseverantia difficultatibus omnibus, parentibusque, quantum ratione fieri potuit, pacatis, post auditam anno uno rhetoricam in scholis Societatis (in quibus affirmant eum longe ceteros omnes ingenio præivisse, græcisque ac latinis seu versu seu prosa antecelluisse) die 24 Septembris anni 1616, annos natus septemdecim et medium, admissu Patris Caroli Scribani Provincialis, Mechliniæ in tirocinium Socie-

tatis ingressus est, sabbati die, primusque eorum extitit, qui e recentibus hisce scholis in Societatem fuit cooptatus.

Per idem tempus alius quidam adolescens in Societatem receptus, cum simul ambo ad tirocinium irent, Joannes ingenti spiritu ardoreque plenus, per viam magno ei cum sensu dixit : « O utinam, mi frater, quemadmodum nunc » simul ambo coimus in eamdem familiam religiosam, ad serviendum Deo in terris, ita simul » quoque alter alterum comitemur in cælum ! » Proxime vero tironum domum, cum videret Joannes e nostris quemdam, excolendo horto intentum, comiti, Et nos, inquit, certe non possumus melius quam ab animi demissione charitateque vitam religiosam auspicari; hortumque ingressus, statim cum socio operi se dare cœpit.

Commemorare hoc loco non possum suaves illas cogitationes, piosque affectus, quibus gestiebat sancti adolescentis animus, ubi receptum se in domum Domini conspexit; nam ut hi Deo soli noti, sic a nemine sunt notati. Scio tamen prima vespera, cum post cœnam in conclavi staret, in quod omnes ad remittendum animum conveniunt, ubi mundo se expeditum, Deique servis adnumeratum vidit, tanta eum fuisse interius dulcedine perfusum, ut tota ea hora, ob tenerrimum animi sensum, lacrimis continenter indulgere cogeretur.

Quamprimum fuit in familiam adlectus (neque enim diu latet virtus) sui statim specimen dedit, innocentis nimirum (qualis erat), puri, prudentis, omnique in re absoluti; plane ut novitiorum instructor, ceteris eum in exemplum proponeret imitandum. Atque hinc etiam, qua in opinione eum Superiores habuerint, intelligi potest, quod cum necesse esset, creari ex ipsis novitiis unum aliquem, qui reliquis tironibus quodammodo præesset, eosque in externa disciplina duceret, ac suum cuique munus partiretur, quique instar socii, vicariam quamdam operam commodaret ipsi Magistro novitiorum, id munus scilicet detulerint Joanni : quod ille tanta omnium approbatione gessit, ut nemo umquam sit repertus, vel e centum amplius novitiis (quot tum capita censebantur) qui de eo quereretur. Quin etiam in posterum, si quando aliquem e successoribus ejus deprædicare vellent, ut magnum dicere solebant : « Videtur alter esse Berchmans. » Quicumque eum aut videbant, aut cum eo versabantur, angeli instar suspiciebant. Ac semel aliquis coram, ut ingenuo eum rubore perfunderet, narrabat, quo tempore Beatissima Virgo miracula in Asperocolle perpetrare cœpisset, eodem quoque tempore insigne unum fecisse Diesthemii, ubi angelus quidam humana carne vestitus apparuisset (digito ad Joannem intento, qui specie moribusque angelus audiebat).

Enimvero cam semper oris serenitatem hilaritatemque præferebat, ut cum aliqui Sanctum Hilarium, alii Sanctum Lætum facete appellarent. Nec intervallo placidus erat, et rursus ex placido turbidus; sed perpetuo tenore blandus, etsi illi natura non ignavi sanguinis spiritusque generositate ferveret. Sui ipsius subjugatione contumeliisque gaudebat; laceras pannosasque vestes amabat; publice reprehendi, vilibus applicari operibus exoptabat; gestiebat quoque asellum suum (ita corpusculum vocabat) abs se aliisque fatigari. Cupiebat autem flagrantissime, suas sibi culpas coram aliis exprobrari; quarum ut syllabum aliquem Superiori adferret, ab his illisve, ecquos in se nævos advertissent, exquirebat; tristabatur vero, si nullos abs se notatos fuisse responderent : et quaternos sibi animadversores, censorum instar, apponi aliquando impetravit, qui perpetuo in illum intenti, commonefacerent, si quid vitii observassent : atque horum unus, cum de levissimæ rei prætermissione semel eum admonuisset, etiamsi tum quidem Joannes, majoris charitatis officio districtus, rem illam omittere necessario debuisset, gratias tamen cumulatissimas admonitori retulit, trium Coronarum numeratione repræsentata; et tantumdem se ei in posterum toties persoluturum spopondit, quoties errati alicujus reum comperisset : quo lucri

sanctioris compendio inescatus alter, acerrimis eum oculis passim consectatus, ne minimæ tamen noxæ culpam in eo umquam deprehendit.

Admirabilius est quod in hoc genere de eo refert Magister novitiorum; cum vidisset nempe, contentione tanta a Joanne flagitari, ut sua sibi errata publice ab acri aliquo reprehensore objicerentur, se ejus consolandi gratia jussisse novitios singulos (qui omnes centenis plures erant) deferre ad se, schedulis scriptis, defectus omnes quos in Joanne advertissent; moxque palam omnibus singulorum inspectis schediolis, ne unum quidem fuisse, qui levissimum defectum detulisset. Quot laudum volumina allata fuissent, si quos noxarum delatores esse jusserat, virtutum statuisset observatores? Ea res jure merito magnam Patri admirationem excitavit; cum, quia non exiguus fuisset ille novitiorum numerus; tum quia tirones, utpote novi, sicut in suscipiendo cujuslibet fere rei negotio verentur impingere, ita facile et rem factam sinistra interpretatione accipiunt, et minima quæque censoriis oculis notant observantque. E contrario, nonnulli Patres investigandum sibi diligentissimo studio sumpserunt, an ut in Joanne nullus defectus appareret, ita nulla quoque in eo virtus desideraretur, earum nempe quas in Vitis Sanctorum, illi ætatis gradui debitas propriasque deprehen-

dissent. Res mira! nec unam etiam reperere, quæ non in illo eluceret.

Nascebatur illi hæc tam insignis perfectio ex perpetua communicatione quam per sanctissimam orationem cum Deo habebat, in qua dici potest eum semper fuisse occupatum et animo collectum, Deumque sine difficultate sibi præsentem habebat, et res omnes, etiam minimas, quæ peragendæ sibi essent, cum Deo conferebat. Quamdiu præfecturam illam vicariam novitiorum gessit, affirmavit se numquam novitii cujusquam erratum prius ad Superiorem detulisse, quam cum Deo rem omnem coram SS. Sacramento pertractasset; cum ut pacem nullius, quid temere deferendo, turbaret; tum etiam, ne arbitrio affectuque suo transversus ageretur.

Quotiescumque vero Rector eo utebatur ad denuntiandam alicui pœnam pro admissa culpa, ille in genua provolutus, ut sibi pro reo pœnam liceret luere, supplex precabatur : quod forte Rectorem si exorare non potuisset, tum ille tam dextere apteque eam sonti denuntiabat, ut qui pœnam gravate subiret, nemo umquam fuerit inventus. Toto tirocinii sui tempore quotidie minimum septies augustissimum Eucharistiæ Sacramentum visitabat; ac dum e templo discederet, vicarios sibi in reditum subrogabat Beatos Aloysium et Stanislaum. Cumque novi-

tios plures hoc provocasset exemplo salutandi sacratissimam Eucharistiam post factum conscientiæ examen vespertinum, non levem ex eo capiebat voluptatem; dicebatque, in historiis Sanctorum hujus fere ævi hæc duo abs se notata, cultum assiduum erga sanctissimam Eucharistiam, et pietatem in Beatissimam Virginem.

Ad orandum, componebat se oculis leniter clausis, manibus ante pectus adductis, genibus perpetuo flexis, corpore ad stuporem immoto, ore quasi subridente. Et sane is ardor erat vultus, ut facile cuivis eum intuenti constaret, quam ferventi Dei amore ejus animus deflagraret. Aliqui vero, inter orandum quam poterant proxime illum circumsistebant, sperantes se facilius inflammatum iri hujusmodi propinquitate, ardorisque aliquid cum eo partituros. Ipse aliquando de se narrabat, se, quamdiu integra valetudine usus fuisset, non solum numquam intermisisse, sed ne distulisse quidem statam matutinæ orationis horam, ut nimirum plus virium haberet, sua aliorum precibus conjuncta oratio.

Tria sibi sodalibusque a Deo precari consueverat : angelicam puritatem, constantiam vocationis, et idonea ut evaderent Societatis instrumenta. Omnium vero imperfectionum remedium esse affirmabat, suavem illam cum Deo communicationem, quæ ex orationis spiritu

nasceretur : quæ communicatio quanta illi cum Deo intercesserit, nullo negotio conjici potest ex ephemeride quadam, quam ipse sibi tirocinii tempore confecit (quæque extremo huic libro ad calcem subjungetur) in qua totius diei actus distribuit, eo ordine modoque, ut in negotiis omnibus mentem perpetuo in Deo habuisse defixam liquido videatur.

Notatum ab eo reperio, nuncupasse privatim tria Religionis vota, post primum tirocinii annum exactum, ut arctius se Deo alligaret, ad 27 Septembris anni 1617 ; legique non modo in schedis manuscriptis, sed et in chartis typo pressis, a puericia vovisse cum virginitatem suam Deo ad honorem Beatæ Virginis. De B. Virgine convenerat inter ipsum aliosque novitios (quod tirones illi non obscure præ se ferebant) ut per omnem occasionem in sermone loquerentur ; quod præstabant non minore fide quam fervore ; et Joannes quidem, in hoc peculiari Virginis cultu (1) magnos indies habebat

(1) A. Wichmans supra laudatus, in *Brabantia Mariana*, lib. I. capite 13, cui iste est titulus « *Sancti aliquot Brabantia oriundi qui eximii Deiparæ Cultores fuerunt...* » sequentia habet de V. Joanne : « Coronidis tantum loco tribus verbis » mentionem lubet hic facere Angelici illius Adolescentis Joannis Berchmans, Diesthemio oriundi et ibidem nati ac inter » Religiosos nostros Tungerloenses dicto in oppido Pastoralibus » muniis vacantes educati ; utpote quorum contubernalis per » aliquot annos fuit. Obiit is nuper an. 1621 Romæ in Collegio » Societatis Jesu, maxima cum opinione innocentiæ et sanctita-

progressus (quod alibi amplius dicetur) et ob ejus amorem Sancti quoque Josephi affectum cum ipse induit, tum in aliis hortatu suo excitavit.

Tantis illi pectus circumfluebat lætitiis, cum vel secum reputaret, se Deo in Religione servire, ut subinde in cubiculo, agendis Deo gratiis vacans, in risum suavissime solveretur; quod vero reddendis pro tanto vocationis beneficio gratiis se imparem longe sentiret, Sanctorum suorum tutelarium gratiam interponebat, dolebatque magna animi demissione, tam insigni se Dei muneri non satis respondere : quin etiam ardore tanto religiosi status bona apud exteros commendabat, ut ejus amplectendi cupiditate nonnullos inflammarit.

Humillime de seipso sentiebat; interrogatusque aliquando, num inanis gloriæ lenociniis subinde tentaretur : « Ego, inquit, quæ Dei » gratia est, bestiam illam non pertimesco. » Obedientiæ virtutem amabat unice, eoque nomine S. Ignatium magis etiam diligebat, quod

» tis, uti omnibus est notissimum. Fuit vero Deiparæ cultor et » amator eximius, in cujus templo Diesthemiensi dudum servivit. » Anno autem antequam e vita discederet, sanguine proprio » votum quoddam a se ad ejus honorem emissum subsignave- » rat, quo ad Immaculatam Deiparæ Conceptionem pro virili suo » defendendam sese adstrinxerat, nisi tamen Romana Ecclesia » contrarium decerneret. » Deinde alia idem auctor profert quæ libro secundo et tertio hujus Vitæ fusius exponentur.

tam præstantem de ea epistolam conscripsisset; censebatque, in rebus minimis studio maximo obediri debere, quo intelligerent Superiores, quanto in pretio mandata sua haberentur; quoniam ubi res minimæ accurate absoluteque serventur, ibi res magnas haud dubie majori quoque cura administrari. Ajebat, absolutam illam Beati Aloysii in minimis etiam rebus obedientiam, non ex timore aliquo culpæ aut pœnæ natam, sed ex desiderio ipsius virtutis.

Loquebatur aliquando, facta sibi potestate, cum externo intra collegii limen, quando alius ad eum quoque alloquendum supervenit : huic Joannes necessarium esse dixit, prius a Rectore facultatem colloquendi petere, eaque impetrata, se (uti fecit) ad colloquium esse reversurum. Si quando, tirocinii tempore, ægre se habere sensisset, tamen obediendi studio, ad consuetam surgendi horam mane se lecto eripiebat; dein copia a Superiore facta, ad lectum, si opus esset, revertebatur. Interrogante quodam, qua ratione regula silentii perfecte servari posset : « Ego, ait, hac ratione facio : Si quem per viam offendo, humiliter eum saluto; tum si quid me vult facere, paratissimum me offero; si quid interrogat, interrogatum audio, verbulo unico respondeo, et vel alterum supervacaneum adjicere caveo. » Assueverat eorum, qui obviam sibi fiebant, Ange-

los custodes salutare, aut etiam Deum pro eis orare; interque prætereundum postquam læto et modesto vultu salutasset, spatii aliquantum se inter et occursantem, honoris causa, relinquebat.

Per omnem vitam nihil umquam in eo notatum aut gestu solutius, aut signis lascivius, aut verbo actuve contrarium angelicæ puritati; cumque esset ingenio alioqui jucundo ac blando, hic semper severissimus extitit. Atque ut gratia comitateque alliciebat omnes, ita singulari morum verecundia, castitatis amorem in animis intuentium excitabat; videbanturque ab oculis ejus quidam quasi radii vibrari, quibus aspicientes ad castimoniam accendebat. Sui ipsius vero custodem egit circumspectione ac severitate tanta, ut quem lecti locum corporisque situm in decumbendo, vesperi semel fuisset sortitus, eumdem absque omnimotu, seu frigus seu æstus esset, in auroram usque tenuisse deprehenderetur; quem morem, reliquo vitæ cursu, constantissime observavit. Priusquam in lecto se componeret, diversas lecti partes his illisve Sanctis protectoribus suis assignabat. Inter hos medium collocabat, ad lectuli pedes, Christum cruci affixum; ut nempe mane, tam piæ imaginis recordatione experrectus, ad Christum honorandum, exosculandosque sacratissimos ejus pedes commoveretur.

Dicebat, adversus tria præcipue vitia Religiosis dimicandum esse : accdiam, superbiam et gulam; accdiam fervore, superbiam humiliationibus, gulam temperantia superari.

Cujuscumque gerendæ rei cura illi incumbebat, in eam se dabat totum, perinde ac res quælibet longe omnium maxima fuisset, eaque sola administranda.

Dici omnino non potest, quam modicis fuerit escis potationibusque contentus Joannes. Non prius umquam mensæ recordabatur, quam audito signo triclinii admoneretur ; neque umquam potionis aut comestionis immoderatæ conscientiam habuit. In triclinio, precatione religiose peracta, aliquanto post spatio quam accubuisset, quiescebat immotus, nihilque attingebat, dein porrecta in mensam manu, cibum instar communis cum Deo lancis in frusta carpebat, lautioribus Deo partibus asservatis; et cum primum alter cibus afferebatur, lancem appositi prius ferculi dimittebat. Affirmabat, per usum tractumque temporis, temperantiam paulatim acquiri posse; se vero, ne jentandi assuetudine obstringeretur, cœpisse ab initio suscepti tirocinii detrahere quotidie aliquid buccellatim de cibo consueto, ad assuefaciendam lente appetentiam, differendamque in prandii tempus, atque hac via didicisse abstinere.

Illud assequi cogitando non poterat, qui fieret, Religiosum, ab omnibus utique peccandi illecebris longissime remotum, tot tantisque bene agendi præsidiis septum, in peccatum aliquod incidere posse. Somnolentiam, qua vexabatur subinde, cum inter audiendum publicas domesticasve concionantium adhortationes somnum non teneret, commordendis ad sanguinem labiis, brachiisque livore compressionum decolorandis expugnabat; sic pertinacissimo naturæ vitio superato, vigilia se attentioneque assuefecit; eodemque remedio pluribus eodem malo laborantibus medicinam fecit.

E meridianæ congressionis colloquio ajebat se novos spiritus colligere in reliquum spatium diei; vespertina autem collocutione adjuvari ad instituendam ardentius meditationem, communionemque diei sequentis : quare videri sibi divinitus instinctos fuisse Patres, qui in sexta Congregatione Generali, horæ illius geminæ remissionem, non levibus rationum machinis oppugnatam, constanter retinendam censuissent, quando tantus ex ea fructus existere sentiatur.

Multus erat in memorandis missionibus nostrorum ad Japonem et Chinas; earumque postremam expetere ipse se ostendebat, ac si quæ inde de religione nova adferebantur, primus sodalibus indicare, ad eorum con-

solationem, festinabat. Tirocinii tempore, etsi perpetuis officii sui occupationibus impeditissimus, linguam tamen gallicam (quam antea penitus ignorabat) ita didicit diligenter, ut in triclinio sæpius gallice sit concionatus. Quam linguam didicisse se narrabat, ut obeundis Societatis muneribus magis esset idoneus, et ne vel unius animæ damno esset imperitia illius linguæ, quæ adeo familiaris est Belgio universo.

Semel tanta animi contentione ardoreque de B. Aloysii laudibus e suggestu dixit, ut vereretur Superior, ne valetudinem dicendi impetu debilitaret. Rusticis catechismum ea gratia explicabat, adeoque suaviter ab agresti vita ad humanitatis religionisque cultum reducebat, ut illum mallent quam concionatorem audire; cumque aliquando agrestes pueros quosdam docuisset Rosarium recitare, et id genus coronas pauculas inter vernulas rusticos distribuisset, post horas aliquot domum reversus, de via aspexit nonnullos post sepium virgulta genibus nixos coronas suas orando volvere, non sine magno animi sui sensu. Alias catervatim puerorum agmina revertentem rure comitabantur in tirocinium usque, non sine Patrum id spectantium gaudio atque admiratione.

Ingenti ardebat zelo juvandi domesticos omnes, nec minori charitate ferebatur in salutem

exterorum; atque ut secundis aliorum successibus mire lætabatur, ita dolebat adversis, nec minor eum proximi quam sui sollicitudo exercebat. Novitius quidam propositi pœnitens, viam explorabat abeundi. Ipse ad genua se advolvit dubitantis, obtestatur dies aliquot maneat; interea socios sollicitat, ut pro eo Beatissimam Virginem deprecentur, et constantiam nutanti videtur impetrasse. Cum quidam e tironibus sub noctem obiisset e vivis, Joannes visus sibi parum pro defuncto orasse, potestatem fieri sibi petiit, plures pro eo coronas persolvendi, postquam reliqui ad dormiendum essent profecti.

Ad summam, utrumque tirocinii annum ea Superiorum, novitiorum, aliorumque Patrum et Fratrum domesticorum satisfactione transegit, ut Angelus loci audiret. Utque nemo ullum umquam in eo defectum notarat, sed quilibet virtutibus omnibus censebat absolutum, ita sancti instar et virginei adolescentis suspiciebatur, deprædicabaturque, et conversationem ejus non modo amabant, sed ambiebant omnes. Nonnulli e tironibus solo se ejus aspectu ad virtutem pietatemque accendi fatebantur, et quid nescio divinum oculis, vultu, totoque corpore emicare, ita Sanctis cælitibus quam mortalibus similior videbatur.

Igitur cum de nuncupandis ab eo votis ad

Patrum concilium deferretur, omnium qui convenerant suffragiis non modo idoneus judicatus est, verum etiam eximia laude commendatus. Ipse autem ut hoc sui holocaustum Deo redderet acceptius, ad patrem suum, qui jam sacerdotio, uti prædiximus, Diesthemii erat initiatus, litteras scripsit, rogavitque, ut in Æde Asperi-Collis ter sacris in honorem Sancti Spiritus operaretur, sibique a Deo opem patrocinio B. Virginis efflagitaret; æquum enim esse, ut quemadmodum parentes vulgo gaudere solent, cum filii contractis magnatum affinitatibus acceptum familiæ splendorem augent, ipse multo amplius sibi gratularetur dignitate filii sui, cujus anima Christo Jesu cælorum Regi sese hoc votorum sacramento jam desponsaret; quo se obstringere volebat, ut mundo mortuus morte justorum (ut dicebat), in Jesu cruci affixi Societate tribus quoque clavis, paupertatis, castitatis atque obedientiæ hæreret confixus. Diebus vero aliquot cum huic se sacrificio offerendo diligenter præparasset, ad 25 Septembris anni 1618, Magistro novitiorum P. Guillielmo Bauters mane sub Sacrum coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento vota sua nuncupavit, et dein cælesti pane est refectus.

Enimvero quam intima illi, extremo jam tirocinio, cum Deo intercesserit communicatio, vel

eo constare potest, quod nulla ei (ut solet reliquis novitiis ante votorum tempus) facultas secedendi in exercitia spiritualia concessa sit. Sed clarius longe conceptam de eo sanctitatis opinionem prædictus Pater expressit iis litteris, quas ad me dedit, quando jussu Præpositi Provincialis Antonii Sucquet ea mihi misit ex Belgio, quæ hucusque narrata sunt, in quibus litteris ita scibit :

« Hæc fere ea sunt, quæ Rev. vestræ mitto, » partim a me observata, partim ab aliis ac- » cepta. Addo, religione adductus, cum eum in » petitione Societatis, adhuc sæcularem, jussu » Superiorum, examinarem, visum mihi primo » aspectu animique conceptu, Angelum me » humano in corpore videre, quem talem re- » vera esse mox certius deprehendi, ubi men- » tem ejus penitus penetravi. Erat enim quam » maxime innocens, modestus, in conversa- » tione suavis et super omnia valde spiritualis. » Superiorum erat observantissimus, constan- » tissimus rerum semel susceptarum, orationi » maxime deditus, in qua sæpe præclaris a Deo » luminibus fuit cumulatus, neque aliud quam » Dei gloriam spirabat. Ita ex animi sententia » testor. Lovanii, 10 Novembris 1621. »

Plura longe quam dicto testimonio attulerat, deinde idem ejus confessarius ac Magister novitiorum affirmat alteris litteris, quas ad me

scripsit postquam ipse primam hancce partem legerat, quæ a me majoris fidei conciliandæ causa ad Patrem Provincialem missa fuerat, ut ea cum Patribus isthic communicata, temporum rerumque fierem certior, magisque e sensu scriberem Belgarum, quibuscum quæ scripsi (uti rogaveram) communicata sunt. Atque in illum modum idem P. Bauters tum scripsit, ut ejus ex litteris intelligi haud obscure possit, quali existimatione prius etiam Joannes fuerit, quam veniret Romam. Igitur in hæc verba scribit :

« Reverendus Pater Provincialis superioribus » diebus mecum communicavit primam par- » tem Vitæ Fratris nostri Joannis Berchmans, » beatæ memoriæ, quam Rev. vestra diligenter » conscripsit; longe sane jucundissima mihi » accidit ea lectio, et haud scio an alia ulla » gratior. Videbar enim mihi videre denuo » sanctum illum nostrum adolescentem, in- » ter centum amplius novitios scholasticos in » Tirocinio Mechliniensi versantem, angelico » suo more; et veniebant in mentem sancta » vestigia religiosæ illius vitæ operumque » bonorum quæ ut olim coram inspecta mire » me rapuerunt, ita nunc iterum narratione » Rev. vestræ audita, me meosque subditos ad » eum imitandum, et laudandum Deum super » servo suo, incredibile quantum provocarunt.

» Fateor, ita enim res habet, mi Pater, etiamsi
» Superiorum meorum jussu illius regendi in-
» struendique provinciam suscipere debuerim,
» tamen ex quo animum ejus perspectum ha-
» bui, eum semper cum admiratione me su-
» spexisse, et modo etiam quotidie a Deo Domino
» nostro gratiam deposcere, ut si non consequi,
» saltem eum imitari aliquo modo valeam.

» Et certe pudet me mei, dum aspicio vene-
» rorque in dies magis ac magis icunculam
» quamdam mihi ab eo relictam, cui discedens
» inscripsit, se Filium indignum, me Patrem,
» neque verba illa sine dolore et pudore insigni
» legere queo, cum tanto me intervallo abesse
» sentio ab ea perfectione, quam ille tam brevi
» spatio consecutus est. Vereorque ne aliquando
» Deus, illo contra producto, exprobret mihi
» negligentiam ingratitudinemque meam. Sæ-
» penumero meipsum accuso oblivionis multa-
» rum rerum, quas illum aut religiose agentem
» vidi, aut dicentem audivi ad gloriam Dei
» instructionemque proximi, et ad promo-
» vendam Regularum nostrarum accuratam
» observationem, spiritusque fervorem. Etsi
» enim multa Rev. vestræ perscripsi, pauca
» tamen ea sunt, comparatione plurimorum
» quæ ille absque cessatione aut defatigatione
» faciebat, cum numquam in Religionis operi-
» bus indefessus hic juvenis usurparet langui-

» dum illud, *Sat est,* aut *Non amplius;* sed » generosissimum ejus pectus avida semper » cupiditate longius ulteriusque tendebat. Et ut » multa fuerint virtutum omnium externarum, » quibus eminebat, exempla, longe certe plura » fuere interiora animi ejus ornamenta, quæ » ille mihi non arrogantia, sed morum fiducia » apertoque candore patefaciebat.

» Quibus exploratis, hanc apud me de illo » sententiam concipere sum coactus, præven- » tum fuisse a Domino in benedictionibus dul- » cedinis, et jam inde electum ab incunabulis » in purissimum habitaculum Spiritus sancti, » ac deinde eximia semper promptitudine » constantiaque adnixum gratiæ divinæ, cui » ab aurora exorientis vitæ sinum aperuerat » mentis, quamque deinceps conservaverit » semper.

» Societatem ingressus, quamdiu in Belgio » degit, vivum fuit perfectumque religiosæ di- » sciplinæ exemplar, et singularis observantiæ » speculum. Amplius ob ea quæ vel ab ipso » accepi, vel in eo ipsemet vidi, ita semper » existimavi, atque etiamnum existimo, perpe- » tuo eum respondisse gratiæ vocationis, abs- » que omni remissione aut defectu, semperque » inter nos sanctissime vixisse. Profecto om- » nium nostrum, qui cum eo viximus, quique » eum novimus, una semper fuit sententia,

» vitam inter nos duxisse angelicam, magna
» animi innocentia, conversandi modestia, sua-
» vitate morum, admirabili honestate, pacifica
» agendi ratione, rerum auspicatarum constan-
» tia, absoluta obedientia promptitudineque
» in serviendo, singulari prudentia, rerum-
» que gerendarum excellenti fervore spiritus,
» continenter ob oculos posita præsentia Dei,
» instar Angelorum qui perpetuo sunt in con-
» spectu Domini. Verbo uno complectar plu-
» rima, si dixero : *Benedictio Domini super ca-*
» *put ejus, elegit eum Dominus ex omni carne,*
» *electo vero dedit præcepta et legem vitæ et disci-*
» *plinæ, circumcinxit eum zona justitiæ, dirigens*
» *in exacta religiosæ vitæ observatione, et deinde*
» *magnificavit eum, et sanctum fecit eum et induit*
» *eum Dominus coronam gloriæ.*

» In hanc sententiam veni de optimo Fratre
» nostro, ex iis quæ in eo observavi, eamque
» confirmant hæ fere res : communis in eum
» quasi totius Belgii affectus; veneratio, qua in
» eum feruntur; fiducia, quam orando in eo
» positam habent. Admirabitur forte id Rev.
» vestra quod jam dicturus sum, quodque ego
» apud me non raro cum admiratione reputavi,
» neque satis scio, an hucusque umquam San-
» ctorum ulli evenerit; argumentum haud du-
» bie amoris communis in beatum hunc religio-
» sumque adolescentem, nec minus indicium

» voluntatis divinæ in eo honorando : Licet
» Romæ sit mortuus, nec multis apud Belgas
» de vultu notus, ejus tamen effigies in æreas
» tabulas a duodecim excellentissimis Belgii
» sculptoribus (1) est incisa; imagines autem
» qua impressæ, qua venditæ, qua venales,
» amplius triginta millia, supra eas, quæ ob-
» scuriorum sculptorum cælo, quæque in exte-
» ris Provinciis factæ. Hinc conficio, felicem
» beatumque hunc Juvenem Deo et hominibus
» esse honori; quorum pietatem Rev. vestra
» augebit prodendo res ejus gestas, quæ iis qui
» hucusque eas ignorarunt futuræ sint exem-
» plo, nobis vero aliisque qui scierint, incita-
» mento ad imitandum, Deique majorem glo-
» riam procurandam.

» Pergat porro Rev. vestra ornare quem
» Deus exornat, et in lucem educere, quem
» Deus palam posuit super candelabrum. Ego

(1) Mirum videri non debet tantum numerum insignium cælatorum hic indicari; extremo enim sæculo decimo sexto et sequenti, cum in aliis regionibus rarissimi essent hujusmodi artifices, in Belgio, Antverpiæ potissimum permulti floruerunt, quorum nomina etiamnum leguntur tot piis et mirabili arte cælatis iconibus subscripta. Præ ceteris eminuere Hieronymus Wierx, Joannes, Raphaël et Ægidius Sadeler, Adrianus Collaert, Carolus De Mallery, Cornelius Galle, Petrus De Jode, Michaël Snyders, etc.; dein alii plurimi, qui Rubenii tabulas cælo repræsentarunt; quibus adjicere liceat Gerardum Edelinck, qui serius in lucem editus, ceteros omnes superavit et cælatorum princeps dici meruit.

» interea Deum orabo, ut Rev. vestram, dum » scribet, dirigat, ejusque simillimum efficiat. » Erunt hi duo, Aloysius et Joannes, duo Rev. » vestræ filii, Manasses et Ephraim : atque ita » spero, hunc ultimo genitum capturum in- » crementa, fructusque facturum ad gloriam » Dei, et Rev. vestræ consolationem, uti scio » primum natu attulisse Rev. vestræ oblivio- » nem laboris omnis pro se expensi, quando » tantus extitit Dei cultus, ipsiusque Sancti » veneratio a Vita Aloysii evulgata, quam Rev. » vestra scripsit. Ita Deus Sanctorum animas » manifestat terris, quas in cælo honorat. En, » Pater, quo me traxit affectus, qui verbulo » meditatus absolvere, bene longas litteras » scripsi; condonet id Rev. vestra affectui, aut » potius condemnet, qui de Juvene virtutibus » omnibus ornato tam pauca scribens, imbecil- » litatem ingenii mei magis detexi, quam lau- » dem illius, ut par erat, repræsentavi, obru- » tus pondere meritorum. Lovanii, 16 Aprilis » 1624. »

Hæc ea sunt quæ de vita Joannis in Belgis acta scribenda habui; nunc ad eam quam Romæ egit, accedamus.

PARS ALTERA

VITÆ

V. JOANNIS BERCHMANS,

QUAM EGIT IN COLLEGIO ROMANO,

EX QUO E BELGIS VENIT, AD ULTIMUM USQUE MORBUM.

CAPUT PRIMUM.

Romam e Belgio proficiscitur. — Quantum duxerit beneficium Romæ studere posse. — Missiones exteras desiderat. — In itinere suo apud omnes sanctitatis opinionem relinquit. — Quid egerit Laureti — Romæ inter novos Collegas separato contubernio adscribitur. — Addicitur studio philosophiæ, docente P. Francisco Piccolomini. — Perfectio ejus in communi vita. — Perfectio in quolibet opere. — Nemo umquam vel minimam imperfectionem aut defectum quantumvis levem in eo deprehendere potuit. — Quanta in hac re sita sit sanctitas. — Adducuntur testimonia Moderatorum.

Tirocinio transacto, Joannes Antverpiam ad P. Carolum Scribani, per id tempus Provinciæ Præpositum, missus, ab eo admonetur de Philosophiæ ac Theologiæ studiis Romæ conficiendis; inde Diesthemium ex imperio profectus, ut patri valediceret, cum Mechliniam pervenisset, audit patrem recens vita functum, eique justa jam esse persoluta. Eo audito, nihilo com-

motior animo, *Jam verius dicam*, inquit, *Pater noster qui es in cœlis*. Fratribusque ac sorore, reque omni familiari per litteras commendatis fidei tutorum, ac Domini Freimont Canonici tum absentis, Mechlinia Antverpiam reversus est, Diesthemiensi itinere revocato.

Antverpia Romam discessit die 24 Octobris anni 1618, comitante Bartholomæo Penneman, egregiæ virtutis ingeniique adolescente, qui Romam una cum eo ad Theologiæ studia ablegabatur. Sed is cum sanguinem spuere in Germanico Collegio cœpisset, Neapolim missus medicorum arbitrio, ibidem ad meliorem vitam transiit.

Mirabatur Joannes unde sibi sors illa obvenisset studendi Romæ in celeberrima Societatis Academia, nihil admodum (ut sibi videbatur) habenti, quo beneficium tantum mereretur. Gaudebat autem, dum secum cogitaret, se Romæ visurum in primis Vicarium Christi Ecclesiæ catholicæ caput, Præpositum Generalem Societatis patrem superioremque suum, tot loca sancta, tam multiplices Sanctorum Reliquias, monumenta Principum Apostolorum; illud denique particulatim, quod tumulos Beatorum nostrorum venerari Romæ posset, indeque facilius sperabat in Chinas aut alio ad infideles se amandari. Iter per Parisios Lugdunumque instituit cum socio; ac quamvis non amplius nocte

unica singulis in domibus permaneret, quacumque tamen iter faciebat, ita se ejus virtus prodebat, ut multis e locis in Urbem de laudibus Juvenis litteræ sint dimissæ. Anno insequenti, dum per eadem Collegia iter haberet is qui fuerat Joannis in tirocinio Magister, multi ei gratulabantur tam insigni discipulo, quem tironem instituisset, quique tam egregiæ indolis specimen, tam suavem virtutis suæ odorem, quaqua iter tenuerat late dissipasset.

Lauretum ambo venere pervigilio Dominici Natalis, visitatoque Sacrario illo, in quo Verbum divinum humanis sese induit artubus, cœpit Joannes cum Collegii Ministro agere de sanctimonia Beati Aloysii Gonzagæ, deque suo quo ardebat visendi sepulchri ejus desiderio narrare. Tum Minister particulam ei Reliquiarum Beati Aloysii est impertitus; quam ille veneratione summa juxta ac gratitudinis significatione accepit.

Nocte Natalem præcedente, etiamsi itineris longinquitate fatigatus, ætate simul conditioneque naturæ infirmus, interesse tamen voluit cærimoniis matutinis, quæ religione maxima rituque solemni in Æde Lauretana peraguntur. Interfuit autem genibus perpetuo nixus, oculis numquam sublatis, corpore immoto, tanta pietatis, tanta collecti animi significatione, ut omnes conversis in eum oculis rapti, mox etiam inten-

tis digitis admirabundi alter alteri eum commonstrarent. Nonnulli, considerato externo illo indolis habitu, quo conditionis esse supra vulgarem videbatur, credidere viri Principis alicujus esse filium, qui (ut alias crebro Laureti fit) ad visendam Ædem sacram venisset, aliena veste personaque suscepta.

Matutinis precibus absolutis, auditoque mox Sacro, cælesti se cibo in Sacrario illo Mariano refecit, incredibili sua consolatione. Biduo hic ambo restitere, nec animum, quamtumvis pascendo sacræ illius Domus parietumque aspectu, satiare posse videbantur. Reliquum denique iter conficientes, Romam extremo Decembri pervenere. Cumque ad Professorum Domum divertissent, a P. Mutio Vitellesco Præposito Generali, aliisque Patribus humaniter accepti, ibidem Circumcisionis Dominicæ diem (qui festissimus est ejus Domus Templo) agere jussi, deinde in Collegium traducti transscriptique sunt.

Hic Joannes secessit inter recentiores collegas, qui (ut mos est) tirocinio exacto, alterum præterea biennium, separato ab aliis contubernio, ad studia persequenda dividuntur. Magistrum nactus est P. Franciscum Piccolomini (1),

(1) Hujus testimonia de V. Joanne, quocum vixit per tres fere annos sancta amicitia conjunctus, infra adducentur. Vir fuit eximiæ humilitatis, pietatis et doctrinæ; anno 1649 electus

qui Philosophiæ cursum instituere cœperat à bimestri. Hic statim Joannis se virtus singularis prodidit, cum et suavissimis esset moribus, hilari ac sociabili naturæ indole ornatus, et simul collecti animi, silentii amans ac valde pius et spiritualis. Joannes duos et viginti menses in secessu novorum contubernalium exegit; novem alios menses veteranis Collegii alumnis convixit, mox æger e morbo decessit. Per omne id tempus tantos in via spirituali progressus habuit, ut si bene eos exponam, non dubitem, quin affirment, qui legent, in communi nostra vita juvenem fuisse insolitæ ac plane eximiæ perfectionis.

Joannes namque, si aut una innocentia, aut alia aliqua virtute solummodo excelluisset, non adeo esset admirandus, sed multos etiam haberet in Societate non modo pares, verum etiam forte superiores. At quod et innocentia vitæ et reliquis quoque virtutibus omnibus excelluerit, perindeque obtinuerit universas ac si singulas perfecte tantum possedisset, res insolens adeo est ac nova ut omnibus eam rem intelligentibus merito adferat admirationem; cum id sit completum quoddam esse earum virtutum quas Theologi appellant virtutes animi purgati; quæ-

est Præpositus Generalis Societatis, sed non diu eam moderatus, anno 1651, 7 Junii, inter acerbos dolores ad meliorem vitam migravit. Cfr. Sotwellus, p. 243.

que, ut Angelicus Doctor Beatus Thomas docet (1), non nisi in Cælitibus reperiuntur et in hac vita in hominibus quibusdam perfectissimis.

Atque illud est quod vulgo in eo admirati sumus, perfectionem nimirum quam in omni virtute atque opere qualicumque ostendebat; nam et divinæ gratiæ auxilio et labore constantissimo res omnes ad summam perfectionem adducebat; ut qui opus aliquod facientem observasset, ipsumque opus, ac modum, rationemque qua opus faciebat, attendisset, dixisset necessario, id opus fuisse numeris omnibus absolutum. Ac si iidem, qui externas ejus actiones videbant, penetrare quoque potuissent ad internos virtutum actus, quos operibus suis omnibus, ad afflandam iis quodammodo vitam spiritalem ac merendi vim, admiscebat, persuasum mihi habeo, summam opinionem de eximia ejus virtute bonitateque fuisse comprehensuros; ut ego non potui non accipere, cum ille mense quolibet bis ad me sponte veniret conscientiæ suæ rationem ut Superiori ac Patri redditurus: quam tanta detegebat simplicitate, ut nec interiores animi sui cogitationes, propensiones, desideriave reticeret. Ac semel quidem, cum ille ad me referret quæ Deus in anima sua operaretur, et quomodo divinæ gratiæ responderet, memini me insolita perculsum

(1) 1. 2. qu. 61, art. 1.

admiratione (nullo tamen ei facto indicio) dixisse mecum : O felicem te, in cujus anima Deus adeo sibi complacet! O beatum adolescentem, cui Deus tam excellentem prærogativam contulit, ut illi non absimilis videatur, qua olim Adamum ornavit, cum primam illi gratiam originalemque justitiam infudit, eo insuper præsidio cælestibusque donis adjunctis, quibus felicem illum innocentiæ statum tueretur! Qualis opinio nasci de uno aliquo non solet, qui sola innocentia bonitateque communi pollet! Impegit quidem Joannes, dum viveret, in eos defectus, quos, dum vivunt, Sancti omnes contrahere consueverunt corporis hujus sarcina onerati, pronique in malum. Et sane qui dissentiret, censeretve contrarium, in errore versaretur, cum ipse Joannes se accusaret et confiteretur se deficere in multis; sed leves adeo erant quæ in eo residebant culpæ, ut oculos nostros effugerent, nec deprehendi omnino possent, nisi cælestis illius luminis fulgore, quo mens ejus affatim erat illustrata.

Illa quippe accurata diligentia, qua ad res omnes aggrediebatur, perpetua illa vigilantia, qua præsentissimum animum cuicumque a se susceptæ actiunculæ afferebat, absolutum eum adeo perfectumque oculis nostris reddebant, ut qui minimum in moribus ejus notarit defectum, aut levem in ejus actionibus imperfectio-

nem deprehenderit, repertus adhuc sit nemo. Quæ res adeo magna est, ut propria magis sit Beatis ad cælestem portum appulsis, quam miseris hisce exsulibus, qui in vitæ fluctibus jactantur; debita magis felicitati Angelicæ, quam mortali imbecillitati.

Joannes, uti jam diximus, annos fere quinque in Ordine nostro vixit, in quo, quæ Dei gratia est, floret, ut videmus, primus ille disciplinæ religiosæ vigor, vivitque recens quædam ac viridis observatio legum. Philosophiæ studiis incubuit in Collegio Romano, in quo et juventus frequentissima, et tot Superiorum attentissimi oculi, qui perpetuo excubant, num ab omnibus regulæ nostræ et ordinationes observentur. Maxima autem sollicitudine minimi etiam nævi, et levissima quæque errata adnotantur, in juvenibus præcipue, quibus acrius invigilatur, ut constantes assuescant. Nemo tamen aut Superior, aut subditus, aut Sacerdos, aut Coadjutor, aut Magister, aut scholarum alumnus, aut cubiculi contubernalis, aut studiorum collega, aut alius quispiam eorum omnium qui in Collegio degebant, eumque et videbant, et familiariter utebantur, in eo umquam potuere deprehendere vel minimam imperfectionem, aut defectum quantumvis levem, aut etiam impetum aliquem affectus alicujus præcurrentis (motus primos appellant), vel ab

eo audire aliquod verbum otiosum, aut minus considerate prolatum. Nemo umquam vidit oculos attollentem plus quam deceret, gestus agentem non bene ordinatos, vel risum edentem nisi modeste et moderate. Nemo in statu corporis, in motu membrorum, in cura vestimentorum vidit incompositum. Nemo violantem silentii regulam, dum silendum fuit. Nemo, dum per regulas latine loquendum erat, utentem italico sermone audivit. Nemo vel temporis momentum inutiliter consumentem, vel otio transigentem observavit. Nemo notavit eum aut per respectum hominum, aut per occasionem, aut casum, limites vel minimæ legis fuisse transgressum. Ad summam, nemo umquam ullius generis erratum ab eo admissum advertit; quæ res quam facile narrantur, tam difficile perficiuntur, nisi ab eo quem benignus Dei oculus perpetua vigilantia tueatur, et singulari ope auxiliisque extraordinariis divinæ suæ gratiæ juvet.

Etenim si una aliqua virtus, perfecto in gradu obtenta, tantum per se valet, ut hominem reddat spectabilem, dignumque efficiat admiratione atque imitatione; facile quivis conjicere possit, quantum nobis admirationis, venerationis et spiritualis gaudii attulerit, videre in uno hoc adolescente collectam tot tam perfectarum virtutum invicem nexarum concordiam, quæ

dulcissimum suavissimumque perpetuo nobis edebant concentum, omnibusque cum probabant similiorem Angelo esse cælesti, positum in gradu stabilis gratiæ apud Deum, quam homini terrestri, peccatis miseriisque obnoxio.

Ut autem cuilibet constet, hasce res a me non commemorari uberius aut inflatius, cognoscatque, externas ejus actiones, summa perfectione factas, ab internis processisse virtutibus, quarum plenus erat eximius ille animus; præterquam quod a me, qui eum manu duxi, affirmari propria scientia possit, placuit hoc loco duorum aliorum Patrum testimonia adferre, qui ejus, ex quo Romam venit, donec moreretur, audiendis confessionibus operam dedere, possuntque procul omni religionis periculo sententiam dicere, cum quod rem proferant in commendationem virtutis, tum quod ille Confessariis Superioribusque suis potestatem fecerit syngrapho scripto omnia indicandi, et hæc syngraphi verba sunt : *Do facultatem, ut plene et libere utatur hac scientia ex confessione.*

Horum unus P. Joannes Baptista Ceccotti, vir (ut neminem fugit) præstanti vitæ integritate, nec scientia tractandi Religiosorum mentes, quam peritia cælestium rerum excellentior (1), qui ei a Confessionibus et spiritus præfectura fuit per biennium, quo Joannes

(1) Cfr. Sotwellus, p. 409.

in contubernio separato degit, totque jam retro annorum spatiis eo loci id munus administravit, in hæc verba loquitur :

« Ut morem geram Superioribus qui jusserunt, illud vere de Joanne (quod ad interiora quidem illius attinet) affirmare possum, non » fuisse mihi exploratum animum ullum majore puritate ac candore præditum, quam illius, utcumque innumerabilium pæne mentes, » ex quo hoc munus gessi, pertractarim; visa » enim mihi est mens illa semper aliquid præ » reliquis habuisse prærogativæ. Non erant ejus » peccata hujus generis, quæ cum natura sua » mortalia sint, tamen ob levitatem materiæ » aut defectum consensus censentur venialia; » sed hujusmodi solummodo erant, quæ et natura sua venialia sunt, et communiter vitari » omnia non possunt, in quæ a magnis etiam » Sanctis, ex mera fragilitate corruptæ naturæ » impingitur; et hujus quidem generis levissima, neque deliberato ab eo commissa, et » pauca admodum, ob exactissimam sui custodiam, qua rebus suis omnibus externis internisque invigilabat, perpetuo quodam constantique vitæ tenore, quem nunquam nisi » in melius commutabat, idque a peculiari » Spiritus sancti gratia et auxilio processit qui » sanctam hanc animam possidebat.

» Defectuum suorum, etsi minimorum, cla-

» ram habebat cognitionem. Conscientia erat
» tenerrima, nullis tamen scrupulis anxia aut
» angusta, ad amussim facta, ut eam depingit
» S. P. N. Ignatius libello vere divino Exerci-
» tiorum, tractatu aureo de natura scrupulo-
» rum.

» Quodcumque de perfectione docebatur, id
» omne non solum imbibebat animo, sed reipsa
» exsequebatur. Dum ego ex regularum præ-
» scripto contubernales illos nostros instruerem,
» notitiamque eis adferrem vitæ nostræ spiri-
» tualis ad summa quædam virtutum capita re-
» vocatæ, secundum normam triplicis viæ, ex
» ipsis fontibus (1) haustam Summarii maxime
» nostri, Communiumque Regularum; Joannes
» noster summa docilitate diligentiaque hanc
» meam institutionem excipiebat, nihil vel mi-
» nutissimum omittendo, plane ut nescirem
» quid perfectionis sancti Instituti nostri pro-

(1) Hanc artem, qua pollebat P. Ceccotti, Instructiones suas ex Instituto Societatis hauriendi, ac æstimationem simul qua illud prosequebatur, his verbis commendat Sotwellus loc. cit. : « Pietati erga Jesum adjungebatur et pietas erga obsequentissimum Jesu famulum Parentem nostrum Ignatium, cujus quanti sanctiones faceret, significant assiduitas, qua librum Exercitiorum, Constitutionum et Regularum summarium evolvebat, ac industria insuper qua bene beateque vivendi præcepta ex iisdem eruebat. Annos quadraginta et amplius in Collegio Romano Præfectus nostris ad internum animi cultum datus, ita se gessit, ut fecundam deinde segetem in varias orbis Provincias a se dimiserit. etc. »

» priæ in eo desiderare possem. Unde conficitur, perfectionem ejus fuisse hujusmodi cujusmodi describitur in Summario et Regulis nostris : id quod unusquisque ita intuebatur, ut etiam certa fide testari posset; quemadmodum ego id significantius affirmo, qui interiore quadam ratione diu cum illo consuevi, et cominus cælestium gratiarum thesauros deprehendi, quarum plena erat mens illa cælestis, in qua testificor me nunquam affectum aut motum ullum inordinatum observare potuisse.

» Amabant eum Scholastici juxta atque observabant, perinde ut Angelum Paradisi; eaque erat ipse bonitate et simplicitate, ut in nemine umquam defectum aut imperfectionem notaret; qua ego re summopere delectabar. Externa ejus modestia atque habitus, quo pietatis sensus intuentibus instillabat, imago quædam erat internæ compositionis a qua ipsa nascebatur, quamquam non paulo excellentior erat interna præ ea quæ exterius eminebat.

» Plura de innocentissimo Juvene non adfero, quia verba deficiunt volentem pro merito ac dignitate exprimere eam existimationem, quam de Angelica puritate innocentiaque tam beati Fratris concepi. Equidem religiose credo, felicem illum animum, dum e corpore

» migravit, ita discessisse expiatum, ut recta
» convolarit in cælum, nullo igne Purgatorii
» tactus, multis cumulatus meritis, ob insignem
» Regularum nostrarum observationem, uni-
» versæque illius perfectionis, quam a nobis exi-
» git Ordinis nostri Institutum; neque memini
» vidisse me umquam observationem majorem
» accuratioremque illa, quæ in eo elucebat. Ita
» censeo, asserendæ veritati subscriptus,

» Joannes Baptista Ceccotti. »

Alter testis virtutum actuumque internorum Joannis nostri est P. Thomas Massucci, Collegio Romano a Confessionibus, et rerum sacrarum Præfectura, vir in paucis doctus, omniumque opinione exemplar quoddam spectatæ vitæ. Is in hanc sententiam scribit :

« Obedientiæ sanctæ imperiis jussus ea scri-
» bere, quæ commeminissem de spectatissimis
» virtutibus sanctisque moribus optimi Fratris
» nostri Joannis Berchmans, tanto libentius id
» præsto, quanto et e Dei gloria, et e bono no-
» stro videbar obstrictior, etiamsi non interro-
» gatus, de eo loqui, cujus conscientiæ arcana
» tractavi extremo vitæ anno ab ineunte Janua-
» rio anni 1621 usque ad Augusti diem 13,
» in quo, uti merito credimus, e terra ad cælum
» commigravit. Per id tempus hebdomadatim
» semel aut sæpius ad me ventitabat sui expi-

» andi causa; singulis vero mensibus minimum
» semel rationem reddebat conscientiæ suæ,
» fere de scripto, quo brevissime adnotata
» continebantur quæ habebat indicanda: neque
» umquam præscriptum huic rei diem, aut ho-
» ram, qua erat confitendum, intermittebat, sed
» primus fere eo occurrebat. Hac fretus cogni-
» tione, videor secure testari posse :

» Primo, novisse me juvenem nullum, se-
» cundum Beatum Aloysium Gonzagam (quo-
» cum vixi, egique familiariter ultimo vitæ ejus
» anno in Collegio Romano) vita spectabiliorem,
» conscientia puriorem, aut perfectione excel-
» lentiorem Joanne nostro.

» Secundo, fuisse illi propositum pro vitæ
» suæ religiosæ scopo, omni omnino virtute
» excellere, omnem progressum quem posset,
» in studiis facere, non alia quam majoris glo-
» riæ Dei et lucri animarum causa, atque ad
» respondendum gratiæ et spiritui vocationis
» nostræ.

» Tertio usum esse ad hunc finem suum as-
» sequendum, Regularum nostrarum observa-
» tione, instar medii cujusdam universalis :
» qua in re absque omni importuna scrupu-
» lorum religione longe erat accuratissimus,
» ut ne unam quidem (quantumvis multæ ac
» variæ Regulæ nostræ sint) deliberate violarit;
» neque eo solum tempore quo animum ejus

» excolui, sed reliquo etiam quod in religiosa
» vita duxit : quinimo universæ vitæ cursu non
» modo non habuit peccati ullius conscientiam,
» sed nec venialis cujusquam saltem voluntate
» admissi, quæ res refert sane plurimum, cum
» arguat servatam ab eo mentis integritatem
» quam in Baptismo acceperat, eumque a prin-
» cipio ad extremum usque viæ spiritualis ex
» numero perfectorum fuisse : quæ prærogа-
» tiva multis, etiam ex præcipuis Sanctis, non
» est concessa.

» Quarto, in servandis tribus Religionis votis
» adeo circumspiciebat, ut nihil umquam cujus
» se hic accusaret, seu grave seu leve repe-
» riret; speciatim vero castitatem tam feliciter
» custodivit, ut credam eum nec motu con-
» trario, nec phantasmate, nequidem per som-
» num umquam fuisse stimulatum, quantum
» quidem colligere possum, habita illius tem-
» poris ratione quo præfui conscientiæ ejus di-
» rigendæ, cum apertissimus illi simplicissi-
» musque esset animus, index etiam minimarum
» rerum, qualem sibi semper fore libello scripto
» promittit : *Ero sincerissimus, apertissimus, et*
» *sicut aqua purissima cum Superioribus et Pa-*
» *tre spirituali.* Neque mirum ad tam excelsum
» puritatis gradum eum pertigisse, cum jacto
» tantæ innocentiæ fundamento, nihilominus
» diligentissime sensus suos custodiret, insigni

» addita temperantia et continua mortificatione,
» nec mentem, nisi studiis forte districtam,
» ulla alia quam Dei contemplatione, rerumque
» spiritualium negotiis occuparet.

» Quinto, e meditationibus quotidianis tantos
» cepit fructus, ut perpenso intellectus ejus
» lumine affectuumque fervore, quibus a mane
» usque ad vesperam in vitæ religiosæ observantia
» et exercitio omnium virtutum dies
» transigebat, ego semper existimaverim fuisse
» cum in gratia confirmatum, hoc est, adeo præ-
» ventum et adjutum gratia actuali opeque di-
» vina, ut videatur ei possibile non fuisse a
» bene agendo desistere cum defectu notabili;
» quo in statu usque ad felicissimum vitæ exi-
» tum perseveravit. »

Has, aliasque res quæ Historiæ hujus decursu narrabuntur, affirmat Pater Thomas Massucci.

Inter cetera de Joanne testimonia videtur et illud merito suum quoque locum vindicare, quod de eo dixit illius in Philosophiæ disciplinis tradendis Magister P. Franciscus Piccolomini (1), cum quo familiariter suas divinarum rerum rationes ea re communicare solitum se Joannes ipse mihi narravit, quod videret illi Patri cordi esse, ut auditores sui eximii essent Religiosi; illudque studere, ne minus virtute pietateque proficerent, quam studio rerum Philosophica-

(1) De quo supra p. 61.

rum. Hanc ob rem facultatem a superioribus impetrarat (quoties ad Magistri cubiculum itabat) proponendi quæstiones, non solum de controversiis studiorum, verum etiam de usu cælestium rerum : quod ille magna Patris delectatione faciebat, qui virtutum ejus exquisitam præstantiam admiratus, gaudebat scilicet gratulabaturque tam sancto discipulo, qui sibi ad pietatem esset incitamento, ceteris collegis exemplo. Ac primum quidem, post ejus mortem in triclinio ex altiore loco de virtutibus rebusque ab eo gestis ad nostros dixit, deinde rogatu meo, testimonium etiam litteris consignavit, quo strictim initio universales quasdam, sed momenti magni, sententias præmittit, deinde speciatim ad ejus bonitatem ac virtutem descendendo, sic dixit :

« Cum præceptum mihi sit a sancta Obedien-
» tia, ut ea universim in medium proferam,
» quorum de beatæ memoriæ Fratre nostro
» Joanne meminissem, id lubens volensque
» facio, non tam ut testimonio meo certitudi-
» nem atque auctoritatem virtutibus ejus con-
» ciliem, quam ut specimen aliquod præbeam
» summæ illius opinionis observationisque,
» qua semper erga eum fui, suspiciens in ter-
» ris juvenem instar Angeli de cælo lapsi.

» Et quantum quidem ad animi interiora
» attinet, quoniam ille (humilitatis aut instru-

» ctionis suæ causa, et certe meo cum pudore)
» eorum participem me esse voluit, illud
» ante omnia affirmo, triennio, quo Philoso-
» phiæ studuit, et mecum in eodem collegio
» continenter versatus, in cubiculum meum
» quotidie minimum semel aut iterum familia-
» riter ventitabat, numquam vel publice vel
» privatim a me observatum in eo defectum
» ullum quam levissimum, sed e contrario
» summam modestiam, sibi tum vultu, tum
» gestu ceterisque perpetuo constantem.

» Deinde, neminem vidi adeo constanter
» omni tempore, adeoque facile et quasi suapte
» natura rebus cælestibus et Dei præsentia
» occupatum, et quod maxime admirandum
» est, simul tam præsentem sibi, attentumque
» rebus quas agebat, et fratribus suis omnibus
» ad quæcumque obsequia promptum.

» Tertio, neminem ejusdem ætatis umquam
» novi, tam capacem excelsarum cogitationum
» et tanta Dei cognitione ac facilitate exer-
» cendæ perfectionis religiosæ præditum.

» Quarto, neminem vidi qui in vulgari com-
» munique nostra vita minus haberet rei vul-
» garis et communis, quique magis ad vivum
» exprimeret solidas vitutes et singularem per-
» fectionem antiquorum Patrum nostrorum, in
» quorum vitis et rebus gestis nemo, quod
» sciam, illo plus erat versatus.

» Quinto, non solum constantem sese in re
» semel suscepta præbebat, sed et nova exco-
» gitabat semper et adjungebat, sui promovendi
» causa, prorsus ut cum aliquando ad me re-
» ferret quid rerum ageret a primo diei exor-
» dio, quantumque continenter addidisset re-
» rum novarum, aperte ei affirmavi, haud diu
» ita perseveraturum, si præcipuis solummodo
» rebus intentus, omissaque rerum minutarum
» cura, non desineret a se animoque suo studiis
» adeo fatigato, tot simul alias res tam exquisite
» accurateque exigere. Et evenit certe brevi
» quod fore prædixeram. Atque hæc generatim
» ad Dei gloriam ejusque Servi Joannis dicta
» sunto. »

Adducere possem auctoritates plurium Patrum tam vita quam doctrina spectabilium, qui verbis longe clarissimis expresserunt, quam excellentem de eximia Joannis virtute ac perfectione habuerint opinionem; at quoniam viris bonis ac sapientibus ea testimonia, quæ jam allata sunt, sat multa esse possint, supersedere reliquis producendis visum fuit. Unum tamen præ reliquis superest P. Cornelii a Lapide, viri qua auctoritate, qua librorum vulgatorum multitudine clarissimi, quod præterire nec debeo nec volo.

Hic enim ut fuit Joanni intimus, sic copiosum præclarumque de ejus innocentia virtuti-

bus ac sanctitate testimonium latine dixit. Quod quia forte optabunt multi, iis ipsis quibus scriptum est verbis, legere, placuit non hoc loco, sed extremo Libro subjungere.

CAPUT SECUNDUM.

Qua via ad perfectionem contenderit. — Propositum concipit numquam venialiter peccandi, aut regulam ullam violandi. — Propositorum fuit tenax. — Ejus in contubernio separato observantia. — Suadet pœnitentias propter defectum observationis regularum injunctas, bono animo adimplere. — Observantissimus fuit omnium legum ac jussionum. — Odit per privilegia regulis eximi. — Amor regularum. — Angelica puritas; ad hanc tuendam quatuor ab eo adhibita subsidia : 1° temperantia et abstinentia in victu. — Quomodo ad mensam se gesserit. — 2° custodia oculorum. — Aspectu se abstinet non tantum mulierum, sed etiam virorum. — Rerum novarum aspectum vitat. — Quomodo in ecclesia se gesserit. — 3° Modestia seu totius hominis compositio, et moderatio omnium actionum. — Modestiam ipse describit; quantum in ea excelluerit. — 4° Fuga familiaritatum. Signa perniciosæ amicitiæ. — Quantam exinde prærogativam puritatis a Deo acceperit. — Tentationes contra castitatem numquam patitur. — Quanta ejus cautio in libris legendis. — Huic Angelicæ puritati duæ aliæ prærogativæ cælitus adduntur, una in vita, altera post mortem. — Aspectus ejus ad castitatem stimulus est. — Invocantibus se castitatis custodem se præbet.

Interrogare non nemo possit (quod ad rem nobis propositam maxime spectat) qua via quibusque præsidiis Joannes ætate tam tenera ad tam excelsum perfectionis gradum pertigerit. Cui respondeo verbis illis, quæ Christus Joanni Baptistæ reddidit, cum aquis ille Christum tingere recusaret : *Sine modo, sic enim decet nos*

implere omnem justitiam (1); et dico felicem hunc Adolescentem *implevisse omnem justitiam* : nimirum quantum humanæ conditioni licet, ea omnia perfecit, quæ in virtutum via fieri posse cognorat, neque ullam perfectionis partem (quam quidem divinæ opis præsidio assequi posset) negligebat. A cœpto perfectionis tramite numquam retro se recepit, non in eo restitit, non lassum se exhibuit, sed semper magnis passibus de bono in melius, de perfectione in majorem perfectionem est progressus. Quod ut facilius perspiciatur, minutatim res ejus gestas, virtutesque quas ab idoneis testibus notatas reperi, recensebo; unde haud magno negotio discere poterunt Juvenes nostri, qua via ille incesserit, qua item eum imitari possint.

Primum, stabili fundamento integritatis in Baptismo acceptæ (cujus ille gratiam numquam, uti dictum est, amisit) adjunxit firmum et constans propositum, numquam deliberate admittendi vel minimum veniale peccatum, aut ullius generis levissimam imperfectionem, aut violandæ, per quamcumque occasionem, ullius etsi minimæ Regulæ, aut mandati Superiorum. Hujus firmissimi decreti cum in sermone meminisse eum audivi sæpius, tum etiam scripto frequenter his verbis fecisse mentionem deprehendi : *Potius millies mori, quam vel levissimum*

(1) Matth. 3.

peccatum admittere. Summa diligentia ab omni semper veniali peccato abstinebo. Evitabo ex toto animo omnem vel levissimam imperfectionem. Mori potius, quam vel unicam violare Regulam. Prius valetudinem perdere quam minimam aliquam regulam transgredi. Atque hæc ab eo retenta fuisse constantissime, quoad interiora quidem, constat affirmatione eorum qui audiendis ejus confessionibus, curandoque animo operam dedere; quoad externa autem, indicio P. Ministri Collegii Romani (1), ad quem pro muneris parte domesticorum erratorum spectat cognitio ac censura, qui hæc de eo testata reliquit : « Numquam notavi aut accepi ullam ab » eo Regulam fuisse violatam, neque umquam » in ullo ejus opere imperfectionem observavi, » quin contra, ejus actiones omnes sanctitatem » et pietatem spirabant. » Quod ipsum complures affirmavere jurati.

Quidam vero e Patribus, vir gravitate juxta ac doctrina insignis (2), tantæ in Adolescente perfectionis admirator, dedita opera aliquando observare acutissime cœpit, num defectum aliquem non comperiret, quo a summa illa perfectione aut inter loquendum aut agendum disputandumve recessisset (quibus scilicet in rebus, nisi quis ad amussim perfectus sit, pro-

(1) Antonii Sbarra.

(2) P. Thomas Bisdomini.

clivissimus est lapsus), numquam tamen in eo vel erratum levissimum, ne adversus eutrapeliam quidem, observare potuit.

Quamdiu seorsim in novorum collegarum contubernio vixit, ut erat vivum quoddam omnibus exemplar, atque imago observantiæ religiosæ, sic omnibus longe charissimus extitit ejus convictus. Nihil opus Superioribus fuit eum rei cujusquam admonere; quin menses totos in officio permansisset, nullius monitis excitatus, tam erat in virtutem sua sponte proclivis. E separato illo juniorum contubernio numquam nisi potestate sibi facta egrediebatur; numquam foras prodeundi, aut huc illucve eundi facultatem petebat. Munera obibat omnia, nullo umquam recusato. Numquam, dum inter juniores collegas ageret, cum ullo veterano; dum inter veteranos, cum ullo juniore sine Superiorum venia collocutus est. Forte e vinea suburbana die aliquo feriato duobus cum junioribus reversus, incidit in duos veteranos, qui officiose eos invitabant ad secum una ambulandum; at Joannes, observatione ordinis inter novos veteresque discreti, abnuit scilicet atque excusavit.

Contubernio juvenum jam relicto, cum Pater quidam Belga (1), Belgam adolescentem,

(1) P. Joannes Brisselius, Lovaniensis. Cfr. *Bibliotheca S. J.* edit. Sotwelli, p. 427. Cum hujus Bibliothecæ frequenter hic

Joannis nuper in Belgio inter Tirones socium, tunc Romæ separato juvenum contubernio adjunctum (1), alloqueretur in professorum domo; Joannem forte prætereuntem conspicatus appellat, ut præsente altero paucis cum eo agat, at ille, legis obtentu, modeste vitare sermonem, dumque alterum abs se dimisisset, polliceri se loquturum; quo exemplo Pater mire acquievit. Ab alio Sacerdote interrogatus, quamdiu cum illo socio tirocinii non effet collocutus, respondit: Ex quo seorsim degere desii, siquidem juvenum colloquio veteranis est interdictum.

incidat mentio, visum est ejus editiones varias breviter indicare; sunt autem sequentes :

Catalogus scriptorum Societatis Jesu, auctore Petro Ribadeneira ejusdem Societatis. Antverpiæ 1608, in-8°. — Recusus est hic Catalogus, et variis accessionibus locupletatus, Lugduni anno 1609, et iterum Antverpiæ anno 1613, curante Andrea Schotto.

Bibliotheca scriptorum S. J... post Catalogum R. P. Petri Ribadeneiræ... adornata a Philippo Alegambe, Bruxellensi, ex eadem Societate. Antverpiæ 1643, in-fol.

Bibliotheca scriptorum S. J .. opus recognitum et productum ad annum 1675 *a Nathanaële Sotuello* (Southwell) *ejusdem Societatis. Romæ* 1676, in-fol.

Bibliothecæ scriptorum S. J. supplementa duo auct. R. D. Caballero S. J. Romæ 1814-16, in-fol.

Editur nunc Leodii Bibliothecæ ejusque supplementi compendium, seu potius bibliographia Societatis absolutissima, librorum omnium titulis, propria qua scripti sunt lingua expressis, adjecta quoque brevissima auctorum notitia, et fontibus aliquot indicatis, ex quibus ampliora de eorum vita ac gestis hauriri possint.

(1) Guilielmum Van Aelst.

Dictitabat quasi per facetiam, optandum esse, post admissam culpam a Superiore vocari ad pœnam, quod videretur tum quisque securior esse posse, pace nimirum cum Superiore conciliata. Finito separati convictus spatio, nihil ejus rei Superiorem admonuit, ea cura scilicet Majoribus, dum ultro monerent, relicta; sed quo die contubernium juniorum deseruit, attulit Patri, qui eorum præfuerat moribus, schediolum quoddam plenum asperitatibus, orationibusque ab eo gratitudinis ergo persolvendis. obtestatus ea sibi monita discedenti daret, quæ salubria sibi in posterum fore censeret.

Etiamsi contubernii legibus solutus, earum tamen rerum facultatem sibi fieri a Superioribus obsecrabat, quas alius quilibet absque omni religionis metu credidisset (nulla facta Superiorum potestate) usurpare sibi licuisse; et vero illud ejus, quod jam narrabo, factum arguet quantæ fuerit erga res etiam tenuissimas observationis. Cum postremum una cum sodalibus in suburbanam vineam prodiisset, pertranseundo ambulationem quamdam, cujus latus ornabant nuces avellanæ, quæ lectæ clausæque a vinitore jam erant, quidam e collegis, cui Joannes interior erat, avellanam unam forte in arbore relictam conspicatus, decerpsit; et statim Joannes (memor legis de non legenda fruge in vinea), Ecquid agis, inquit, mi frater? Alter

ridendo respondet, nucibus jam lectis reliquas, si quæ forte mansissent, videri cuivis reperienti permissas; et credere se eam usucapionem non esse lege interdictam. Visa Joanni proba exceptio; sed humeris aliquantum adductis, Ego tamen, inquit, non facerem, neque perfugerem ad id genus interpretationes.

Hæ aliæque res quibusdam, quos sua mollius habet conscientia, ridiculæ forte videbuntur, ac nimiæ cujusdam superstitionis; at certe viri spiritualium rerum usu assuefacti, religiosæque perfectionis studiis intenti gemmarum instar in reliquis virtutum ornamentis eas æstimabunt, habebuntque ut indices certissimas candidæ cujusdam ac rectissimæ mentis.

Solent Superiores, novis incidentibus rebus, nova quædam consulta decernere, quæ in triclinio fere promulgantur. Comperio a Joanne notata exceptaque in quodam libello ea omnia, quæ per id tempus, quo in Romano Collegio degit, fuere edicta, memoriæ gratia et observationis. Quidam, qui eodem cum Joanne cubiculo utebatur, aliquando ei indicavit, in animo sibi esse petere a Superioribus rei nescio cujus vetitæ facultatem. Dissuasit Joannes, et Ego, inquiebat, non peterem; cum quia non esse necessaria videatur, tum quod adduci non possim, ut rem ullam aut regula aut jussu interdictam efflagitem. Addebatque, se semel atque

iterum non levi fuisse religione commotum, quod obsequentia Magistri sui potestatem impetrasset festo aliquo die manendi domi, nec audiendi lectionem quæ in Æde Jesu habebatur : adductus hoc argumento, quod regula jubeat frequentari concionem aut lectionem quæ habebitur in Templo nostro, Templum autem Jesu, communi loquendi usu non accipi pro Templo Collegii, cum aliud proprium Collegio Templum sit, atque etiam (licet Synaxis sacra diebus Festis hic obeatur, ibi vero concio convocetur) nihilominus in Collegio examen conscientiæ signo consueto indicatur, quod moribus nostris non permitteretur. E contrario tamen videri, Ædem illam censeri instar Templi Collegii, quando iri eo solitum est, ad audiendam concionem aut lectionem. Sed ego, inquiebat, edoceri me certius curabo, ac si quidem regula teneri comperero, numquam in posterum licentiam petiturus sum. Quo clare æstimari possit, quam ille mordicus regularum observationi inhæreret. Nam et inter ea quæ sibi tamquam principia quædam statuerat, hæc quoque sententia comperitur : *Odisse ut pestem dispensationem in regulis.* Neque sane deinceps privilegio ullo generali, hujus illiusve rei pro arbitrio gerendæ aut omittendæ eximius haberi voluit, quod sentiret scilicet, minore periculo ac majore merito, quotiescumque res ferret, facultatem submisse indifferen-

terque a Superiore flagitari. *Non facile petam*, inquit, *facultatem generalem pro aliqua re.*

Festo Parentis nostri Ignatii die, cum Sacro interfuisset, quod in Æde Jesu fuerat solemniore ritu peractum, revertentem ad Collegium comes interrogat per viam, ecquam præcipue gratiam a Beato Patre flagitasset. Oravi, inquit, in Societate mori nulla umquam regula violata. Præsto ei ante oculos perpetuo erat regularum liber apertus, in musculi sui mensa; ajebatque, mire se acquiescere insigni Romani Collegii disciplina, in quo permagni æstimari sentiebat minimarum etiam regularum observationem. Atque illo præcipue simul delectabatur, videre tot Patres Fratresque tempore colloquii a mensa concessi, aut in horto, aut in musæis, aut in ambulacro suaviter religioseque colloquentes, mox nolæ unius signo admonitos, momento silere omnes, verbis etiam dimidiatim abruptis, silentioque quemlibet redire in cubiculum suum, nullo cujusquam audito per viam verbo.

Sed quam sancto affectu regulas ille, ut normam quamdam veræ sanctitatis perfectionisque divinitus sibi datam, complecteretur, vel eo cognosci potest, quod omni vespera cum dormitum se conferret, (rem novam, ac mihi quidem inauditam) religiosus Juvenis librum regularum singulari quodam pietatis sensu subjiceret capiti

suo, ac tum quietiore animo somnum sibi capere videbatur; moribundus vero, eumdem librum adferri jussit et manibus tenere voluit, ut suo deinde loco dicetur.

Enimvero si vigilans semper Joannes fuerit in abstinendo se omni cujuscumque levissimæ Regulæ violatione, at longe certe diligentissimus circumspectissimusque fuit in se custodiendo adversus umbras etiam earum labeculârum, quæ vel remote castimoniam obscurare possent; scriptumque reliquit, perpetuis se execrationibus abominaturum vel minimas imperfectiones, quæ honestatis virtuti castimoniæque adversarentur, ut sunt : ciborum lautiorum appetentia et vitium gulæ, oculorum tam domi quam foris incauta licentia, aliaque hujusmodi. Revera enim (uti dicebat) qui impurus fit, pejor dæmoniis omnibus efficitur. Sic habent ejus verba : *In æternum etiam levissimas imperfectiones contra castitatem tendentes, ut propensionem in cibos, incuriam in oculis tam domi quam foris custodiendis, detestabor et execrabor ; quia revera, qui fit impurus, nequior fit omnibus diabolis.*

Primo igitur ad hanc puritatem tuendam, magnæ semper illi cum intemperantia inimicitiæ intercessere, eamque castitatis hostem, et deliciarum orationis sive meditationis corruptionem appellabat; dicere consuetus, nulla re alia (post incontinentiam) offendi a Religiosis sæ-

culares magis, quam si eos in ingluviem videant projectiores, audiantque de cibo et potu sæpius loquentes. Atque hæc litteris verba commendavit : *Vitium gulæ est immoderata ciborum appetentia, ejusque vitii actus sunt, frequens de cibis cogitatio ac sermo, fastidium communium, studium exquisitorum, edendi ratio inconcinna, cum nimia aviditate ac celeritate conjuncta.*

Ipse sane modeste admodum vescebatur, moderati semper cibi, parcæque potionis, imo abstinentiæ immodicæ. Numquam a mensa surrexit, quin eorum quæ sibi fuerant apposita reliquum quidpiam fecisset. At quoniam, florente crescenteque primum adolescentia, natura uberioris nutrimenti indiga, subinde appetentiam illi exstimulabat; ille eo sensu vexatus, incusabat se scilicet ut intemperantiæ reum, acriterque invigilans, in se quærebat; neque intelligebat optimus Juvenis, non gulæ vitium esse, sed quamdam appetentis egentisque naturæ necessitatem. Atque illa sua opinione constrictus, plus semper sibi accidebat subtrahebatque indies, uti vigore naturæ paulatim exstincto, penitus contabuerit. Nullo umquam, quantumvis specioso sanitatis titulo, adduci potuit, ut quidquam præter communem cibum sumeret; dicebatque, se sperare Deo cordi fore ut communia non nocerent, quando iis uteretur, ne discederet a communi usu. Etiamsi vero

stomachus ei naturaliter a quibusdam (ut a caseo, quo non vescebatur) abhorreret, eo tamen ita abstinebat, ut nihil sibi apponi ejus loco sustineret.

Jam oculos (quod alterum caput erat) ita in officio tenebat, ac tale cum iis pepigerat fœdus, ut numquam terra eos attolleret, nisi ratione aut necessitate cogeretur. Ea re numquam (nisi principio, ad internoscendum) eos aspiciebat quibuscum loquebatur; ad Magistri vero cubiculum quoties itabat, quod jam nosset quem conventurus erat, numquam, nisi dejectis in terram oculis, accedebat. A natura comparatum est, subitis novisque in casibus eo oculos converti unde strepitus exauditur; at Joannes ne tum quidem commovebat sese. Affirmant complures juvenum externorum, qui scholas cum eo frequentarunt, dedita opera sæpius, sonitum se esse machinatos, ut eam in partem oculos ejus advocarent, sed numquam evenisse.

Scripto expresserat, aspectum mulierum instar basilisci evitandum. Nec earum modo, sed et virorum intuitu domi forisque interdixerat sibi; tamque depressos continenter gerebat oculos, ut ne ipsi quidem qui quotidie familiariter eo utebantur, cujus demum coloris ejus oculi essent (quod numquam eos videre licuisset) indicare possent. Et plures mihi ingenue fassi sunt, sæpius se in illum et diu fuisse intuitos, eo

studio, ut quales haberet oculos, observarent, nec potuisse deprehendere, cum oculos eo temporis spatio non sustulisset. Rogatus a cubiculi sui contubernali, quo pacto animum semper adeo collectum servaret, respondit : Juvat multum custodia cordis, et cum hæc obtineri non possit nisi frenentur oculi, continua insuper mortificatio oculorum.

Atque hos subigebat non solum avocando ab aspectu hominum, sed ab intuitu etiam rerum omnium exquisitarum, quo pascere eorum curiositatem renuebat. Allegatus aliquando ad Seminarium, dramatis spectandi causa, non abnuit quidem, ut sese imperiis accommodaret ; sed ea compositione modestiaque in subselliis consedit, ut nec oculum attolleret : quo notato, nobilium quispiam, qui remotiore e loco spectabat, obstupefactus scilicet, proxime assidenti in aurem insusurrat : Profecto hic Pater est sanctus.

Numquam adduci potuit, ut hortos vineasque, quæ Romæ in admiratione sunt, ullasve res alias novas inspectum iret; ne solemnes quidem illas equitationes, quibus crebro Romæ novorum Cardinalium, Principum, Legatorumve adventus insigni pompa excipiuntur : in quas si forte ex itinere incidisset, præteribat oculis in solum fixis. Pontificem Maximum recens creatum dum ad S. Joannis in possessio-

nem mittitur, sacerdotes ceterique nostri præ Domus Professæ janua, flexis genibus, reverentiæ et summissionis ergo, operiri solent, ut ab eo benedictionem accipiant. Huc una cum collegis reliquis Joannes missus erat, prætervehente Gregorio XV, rogatusque a comite cum rediret, Ecquid ei arrisisset splendidissima illa Equitatus pompa; « Equidem, inquit, non vidi, quia priores, post quos latui, spectanti mihi offecerunt; » revera autem, spectaculo illo neglecto, dederat se ad orationem.

Numquam a sodalibus persuaderi potuit, ut vel ad spectandas cærimonias, quæ Romæ Pontifici Maximo recens creato in S. Petri adhibentur, vel ad spectacula ulla videnda prodiret : acquiescere se dicebat una visa Supplicatione, qua Pontifex circumtulerat sanctissimam Eucharistiam. Venerat in Collegium Romanum Cardinalis Sabaudiæ Princeps, utque a nostris honorifice acciperetur, Joanni inter Adolescentes, qui sua quisque lingua erant peroraturi, obvenerat munus lingua Flandrica dicendi; atque oratiuncula sua absoluta, neque alios post se oraturos audiendi cupiditate pellectus, vel momento restitit, sed quam mox adito rogatoque Subministro num quid se vellet, aut sua in purgandis aut eluendis culinæ lancibus opera opus esset, cum non esse respondisset, ille in Templum protinus ad orandum se recepit.

Dominicis festisque diebus in Ædem Jesu se conferebat ut commentationibus in Scripturam sacram, quæ tum fiunt, interesset. Ingressus statim certo in Templi angulo componebat se ad orandum, flexis genibus, oculis demissis, corpore penitus immoto dum Vesperæ finirentur. Genuensis aliquis domi nobilis (ea re sæpius explorata) juvenem non sine delectatione observabat, et sacerdotem quemdam nostrum (1), civem suum, ita percunctatur : « Qua » causa, mi Pater, existimas me huc venisse? » Opinor, inquit sacerdos, Vesperarum causa. » Quinimo, ait ille, Juvenis illius videndi » causa, qui omnibus Festis huc ventitat, » eoque se loco tenet orans, curvatis genibus, » quiete, modestiaque tanta, ut nec oculos se- » mel attollat. Equidem de eo tam excellentem » opinionem habeo, ut credam esse sanctum; » nam cum in sacra Æde hos videam musicæ » audiendæ attentos, illos huc illuc circumspi- » cientes, alios confabulantes, orat ea modestia » Juvenis ille, eoque corporis habitu, ut san- » ctus mihi esse videatur. »

Hanc oculorum custodiam cum insigni modestia et totius hominis compositione, seu staret, seu incederet, seu rem aliam ageret, conjungebat : plane ut nonnulli dicerent scriptas ab Ignatio Modestiæ Regulas, si interiissent, vel in Joanne

(1) P. Ignatium Lomellinum.

denuo potuisse reperiri; adeo Modestiæ ipsius imaginem præ se ferebat. Ajebant alii, etiamsi Angelus, humana carne vestitus, hominis membra induisset, non fuisse majore modestia usurum : tanto ad eam studio Joannes incubuerat, ut et summo in gradu obtineret.

Affirmavit aliquando sodali cuidam suo, timere se, ne in modestiæ leges peccaret, plus nimio demittendo caput; obtestatus uti adverteret animum an aliquando erraret, moneretque, pollicitus se esse emendaturum. Quod vero certius perfectissimæ laudis hujus argumentum, quam quod condiscipuli externi ei nomen imposuere Patris Modesti, ac Modestissimi, tantaque eum voluptate spectare sint soliti per atrium transeuntem redeuntemque e schola, ut eo spectaculo sæpius retinerentur? Adeo certe modestia ejus excitabantur, ut illius precibus, aliorum Patrum rogatu, commendari se flagitarent. Cum vero positas de Philosophia quæstiones extremo studiorum cursu propugnaret, quidam ex ipso Theologicæ scholæ limine (in qua disputandum erat) eum in cathedra stantem conspicati, jucunde inter se capita conferentes, En, ajebant, Theses tuebitur Pater Modestissimus; quin hora una alteraque capimus voluptatem ejus intuendi?

Post mortem reperi sic eum in quodam libello de modestia scripsisse : *Modestia virtus est, quæ*

motus omnes animi corporisque cum honestate ac decentia moderatur. Ejus virtutis actiones continentur Regulis a B. P. Ignatio de modestia scriptis. Incitamenta quæ ad ejus observationem invitant, ista sunt :

Primum : Imitari modestiam verecundiamque B. Virginis, quæ adeo his virtutibus excellebat, ut ea conspecta dixerit Dionysius Areopagita, nisi aliter per fidem esset edoctus, pro Dea illam fuisse veneraturum (1).

Secundum : S. Ignatius multis lacrimis, quæ de modestia reliquit præcepta, septies irrigavit.

Tertium : Immodestus injuriam facit Passioni Christi, qui nostram scilicet immodestiam, membrorum suorum cruciatibus expiavit.

Quartum : Immodestus, Matris nostræ Societatis, cui nos cordi adeo sumus, pudorem onerat, lætitiam corrumpit, formamque commaculat.

Quintum : Dei undequaque præsentia modestos continere nos debet.

Sextum : Modestia singularem quamdam gloriam singulis membris nostris conciliamus.

Septimum : S. Franciscus Xaverius (2), *quod adolescens inter æquales gregalesque suos saltu libenter se impigreque exercens, aliquando corporis agilitate*

(1) Sic fert epistola quædam suppositítia, Areopagitæ adscripta, quam Dionysius Carthusianus aliique genuinam putarunt. Cfr. Spinellus : *Maria Deipara thronus Dei*, etc., cap. 5, n. 57, et Ceillier : *Auteurs ecclésiastiques*, tom. 15, p. 385 sqq.

(2) Tursellinus in Vita, lib. 1. cap. 4.

nimium sibi placuisset, brachia coxasque arctissimis funiculis constrinxit, ut ei nimirum condolerent, cum pedes etiam conficeret iter.

Octavum : S. Thecla sententiam capitis exspectans, numquam oculos attollere voluit, præ modestia, verita circumstantes intueri.

Nonum : Religiosus quidam coactus vado flumen transmittere, dum pedes nudare præ verecundia trepidat, prodigiose in alteram se ripam transportatum sensit.

Denique, Beatissima Virgo, per visum puellæ Musæ apparens cum insigni beatarum Virginum cœtu, quem Musa imitari cupiebat (1), *eam jubet abstinere risu, jocis aliisque crepundiis puerilibus, polliceturque, post triginta dies cum eodem Virginum agmine redituram, ut comitari cupientem, una secum deducat. Puella gravitatem induit, mores componit, morbum post quintum et vigesimum diem contrahit. Trigesimo Beatissima Maria Virgo iisdem puellis stipata revertitur ; Musa ejus recreata aspectu, Venio Domina, exclamat, ecce Domina venio, simulque animam expiravit.*

His præsidiis atque artibus Joannes ad summam modestiæ excellentiam, oculorumque imperium nitebatur, nec minore studio reliquorum membrorum dominatum, gestuum vestitusque decentiam omni loco ac temporum occasione procurabat; nihil ut sit mirum, adeo modestiam

(1) S. Gregor. lib. 4 Dial. cap. 17.

ejus omnibus fuisse admirationi, tantisque a virtute illa fuisse laudibus commendatum.

Aliud ejus subsidium ad Angelicam puritatem sectandam positum fuit in fuga omnium familiaritatum. Unique Scholasticorum, cui plusculum fidebat, tria hæc reliquit documenta : Primum, ne ullam umquam cum aliquo singularem iniret amicitiam arctiore vinculo societatis. Alterum, magnis aliquando animis ingluviem superaret; qua semel subjugata, redactaque in potestatem, haud facile deinceps intemperantiæ esse obsecuturum. Tertium, in Deum eodem ferretur affectu, quo filius in matrem, hinc suavissimam quamdam fiduciam illi nasciturum. Inter scripta virtutum suarum principia et illud retulerat : *Nulli ero familiaris ;* utique censebat familiaritate minui debitam in socios observantiam, præberi ansas violandarum legum, darique occasiones admittendi frequentiores culpas. Una nostrarum legum est, ne alter alterum vel joco tangat. Joannes ita scripto proposuerat : *Si quis me contra regulam, etiam joco tangat, aperiam Superiori.* Atque ut altius imprimeret animo, quam dedeceret omnes familiaritates, scripto adnotaverat præcipue id caput quo in reddenda conscientiæ ratione interrogamur, *An alicui plus sit familiaris quam aliis ;* addideratque e S. Basilio, familiaritatem inter Religiosos nocere charitati, eoque

prohibendam esse hominibus Deo sacris continuam singularemque conversationem, cum et Joannes Climacus narret (1) novisse se juvenes, qui licet castissime se diligerent, abruperint tamen omnem familiaritatem, postquam aliis offensioni se fuisse intellexere.

Præterea, tabellis exceperat indicia, quibus S. Bonaventura (2) internosci scribit privatas malasque amicitias, nimirum horas diesque subinde perdere colloquiis, initio probis, sed mox vanis, ac licentius solutis; explicare mutuam propensamque inter se voluntatem; munuscula ultro citroque reddere; non posse diu amici sustinere absentiam, longumque domicilii deplorare intervallum; angi sollicitudinibus si rari perferantur nuntii, perpetuoque id genus curis agitari; ferre graviter, si tertius in eamdem se insinuet societatem; iras subinde inter utrumque familiarium nasci, atque erumpere in verba aspera; alterum alterius excusare defectus, et sine correctione tegere; aliaque ejus generis multa, uberius a S. Bonaventura pertractata; ad quæ Joannes subjunxerat, illud quoque evidens esse signum vitandæ familiaritatis, cum amicus occasionem dat defectus alicujus admittendi aut regulæ violandæ, nec alteri tamen animus est, amicum de defectu aut

(1) De Instit. Monach. gradu 26.

(2) De profectu Relig. lib. 2, cap. 27.

regula admonendi, vel abnuendi se id esse facturum.

Propter intentissimam hanc curam qua se oculosque suos in officio tenuit, modestiam exercuit, gulæ vitium expugnavit, amicitiarum scopulos defugit, tam insigni prærogativa Deus dilectum suum Joannem donavit, ut per omnem vitam nunquam tentationes contra castitatem sit expertus. Quod ornamentum tanto profecto est æstimabilius, quanto inter homines rarius, nec vulgo nisi illis (neque tamen omnibus) concedi solitum, qui mortalibus perpetuo culpis per singulare Dei præsidium immunes, vitam omnem innocentissime traduxere. Quadam die de privilegiis B. Virginis, cui se insignem hanc gratiam debere agnoscebat, cum Fratre Coadjutore disserens, hæc ei privatim communicavit : *Ego,* inquit, *per Dei gratiam et Beatissimæ Virginis beneficium, non memini me umquam cogitationem contra puritatem habuisse; sed quam maxime abhorreo a re qualibet contraria huic virtuti.*

Quam autem averso fuerit animo ab hujusmodi rebus, vel eo intelligi potest, quod, cum ad legendas suasu meo Confessiones S. Augustini, ob præclarissima quædam opusculi illius lumina, inflammatosque affectus, adductus esset; mox ille offensus lectione noxarum (in quas Sanctus ille in adolescentia præceps ruerat) ad

me e vestigio venit : *Pater,* inquit, *lectio Confessionum S. Augustini non sapit mihi;* quo ego intellecto, ut in posterum lectione abstineret, imperavi.

Mordebit haud dubie hæc narratio eorum animos, afficietque pudore, qui curiosa poëtarum et lascivorum librorum volutatione, perniciosissimis scilicet malorum auctoribus ac magistris capiuntur. Quid enim aliud, quam mentem impuris cogitationibus ac desideriis replent, fœdisque imaginibus concitant, quæ animi puritatem labefactant, orationes, ceterasque pietatis exercitationes hebetant penitus atque enervant ?

Neque vero sola illi mens erat inhonestis cogitationibus vacua, sed et corpus omnis lasciviæ expers : quod ego illius ipsius affirmatione didici, quum extremo Decembri anni 1620 redditurus mihi, utpote Superiori, progressus sui rationem, ut legibus moribusque apud nos est receptum, id aperte indicavit; quod singulari Beatissimæ Matris beneficio adscribebat, quæ sui non modo vigilantis, verum etiam dormientis tutelam suscepisset, ex quo prius semper quam dormitum iverat, Angelicam illi salutationem persolvisset in honorem Immaculatæ Conceptionis. At verba illius potius, quæ litteris mandata post mortem reliquit, quæque idem vivus mihi retulit, in medium proferamus :

Circa castitatem, de die per Dei gratiam, et auxilium Beatissimæ Virginis, nullum sensi motum; noctu, ter vel quater in somno, ac tum sentio me quasi ab aliquo excitari, ab eo tempore quo ante cubitum cœpi dicere Ave Maria, ad honorem Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis.

Ut igitur, quæ ei divinitus data erant ornamenta, indies augebantur, ita multo quam antea liberiorem purioremque se sensit anno 1621 qui ultimus fuit vitæ; quo iterum cum die 18 Junii de rebus animi sui ad me referret in proximum renovandorum votorum diem (qui futurus erat B. Aloysio Gonzagæ festus), magno suo gaudio narravit, eo se anno neque interdiu, neque noctu, neque in vigilia, neque in somno, per singularem Beatissimæ Virginis opem, ullam aut animo cogitationem aut phantasia imaginem, aut corpore motum castitati repugnantem habuisse; quia vero scripto afferre consueverat, quæ mecum communicabat, his verbis ea consignarat : *Circa castitatem nihil sensi, nec umquam melius mihi videor habuisse, beneficio Beatissimæ Virginis.* Et cum eo sane convenit, quod et P. Thomas Massucci, (qui per id tempus confessionibus ejus audiendis vacabat) testatus est, Joannem neque per vigiliam neque per somnum inhonestis ullis cogitationibus umquam fuisse vexatum. Quæ omnia cum a quopiam Collegii Romani Sacerdote (1)

(1) A P. Thoma Bisdomini.

narrata essent Illustrissimo Cardinali Bellarmino, in Domo S. Andreæ commoranti, solutus in lacrimas Cardinalis cum admiratione : « Singularem profecto gratiam, inquit, in juvene « (qualis Joannes erat) valente ac spiritibus « pleno! » Quid igitur miri, fuisse eum vulgo ab omnibus pro Angelo habitum, eoque nomine appellatum, quando humanis alligatus membris, humanæ degeret expers miseriæ, contenderetque cum ipsis Angelis de palma castitatis? Nam hi, ut ait Bernardus, etsi virginitate quidem glorientur, quia tamen extra carnem, feliciores sunt hac parte quam fortiores ; at fortunatissimus hic Adolescens in medio cupiditatis fomite non modo non urebatur, sed ne quidem incalescebat.

Eximio huic Angelicæ puritatis ornamento, duæ cælitus præterea adjectæ fuere prærogativæ, in vita una, post mortem altera, ambæ juxta veneratione dignæ. Priorem sensere illi, qui suam ipsorum experti imbecillitatem, non audebant in vultum cujusquam intueri, ne impuris cogitationibus commoverentur (quod consilium a sanctioris quoque vitæ Magistris laudari consuevit, dum asserunt non licerre vel oculo delibare, quod nefas sit animo concupiscere) ; e diverso tamen ab ipso Joannis aspectu dixere se vim sensisse contrariam, ut supra est a nobis commemoratum. Quique obtutum in eo fige-

bant, non solum nulla molestia afficiebantur, sed cum delectatione sanati, insuper castos et sanctos affectus experiebantur. Complures etiam jurati testimonium dixere, se, quoties obviam ille fieret, velut Sancti cujusdam interventu compulsos, ad animum gestusque componendos. Nonnulli illius se conspectu ad conpunctionem; alii ad perfectionem ejus imitandam, provocari sentiebant. Erant, qui adversi in triclinio accumbentes, ejus moribus velut imagine expressam Beatissimæ Virginis modestiam sibi proponebant. Non pauci eum pro sancto habentes, Deo se per merita illius commendabant. Plures denique apud se taciti exclamabant : Felicem te, qui instar Angeli de cælo in hocce Collegium lapsi, huc ad nos excitandos exemplo tuo descendisti! et lacrimis non temperabant, et purissimo se castitatis amore inflammari aspectu ejus sentiebant. Quæ res cum ad eumdem Cardinalem Bellarminum essent relatæ, eum ad lacrimas moverunt : « Privilegium hoc, inquit, Beatissimæ Matris Dei, non nisi illius ipsius favore potuit servo ac filio ejus impertiri. » Quæ sapientissimi Cardinalis opinio verisimilis redditur prece quadam duodecim salutationum Angelicarum, in qua castissimus hic adolescens Beatissimæ Virginis puritatem meditatus quotidie eam rogabat, ut et ipse sermone moribusque afflare aliis posset amorem puritatis,

omnemque depellere cogitatum castimoniæ repugnantem : sicut ipsa videlicet sui aspectu omnem humanis mentibus cogitationum lasciviam depellebat. Quas preces litteris mandatas his verbis faciendas conceperat : *Beata Virgo impuras aliorum cogitationes suo aspectu pellebat : pete et tu, ut tua conversatione castitatis amorem ingeneres in aliis.*

Altera prærogativa, cujus post mortem compos fuit, videtur esse potestas illa, qua multis opem ejus implorantibus inter pericula castitatis suppetias venit. Etenim sæcularium religiosorumque hominum, cujuscumque ordinis aut sexus, plurimi Angelica ejus puritate cognita, cum in graves tentationes subinde incidissent, nequidquam sese illis explicare conati tandem cum fiducia et affectu Joannis ope invocata, remedium invenere, ignibus repente velut aqua effusa exstinctis. Postea vero, ad illustrandam Dei ejusque fidelis Servi Joannis gloriam, accepta beneficia apud varios nostrum professi, testandæ gratitudinis ergo, aut per se ipsi, aut per alios votivas memoriæ tabulas, atque anathemata monumento ejus suspendere, perpetua deinde veneratione religioneque castissimum Juvenem prosecuti : ut videatur profecto Beatissima Virgo hunc servum suum ac dilectum filium non modo vivum prærogativis, sed et mortuum prodigiis ornare

velle, ad utilitatem fidelium, et ut eum coram mundo extollat.

CAPUT TERTIUM.

Subsidia quibus V. Joannes defectus etiam minimos constanter vitavit. 1° Bona indoles. — Ab omni melancholia fuit immunis. — Ejus mores. — 2° Constans ordo vivendi. — Nullum perdit tempus. — Provisas habet actiones suas omnes. — 3° Custodia linguæ. — Regulam silentii accuratissime servat. — Colloquia ejus inter recreationem sancta. — Industria ad comparandam copiam sermonis spiritualis. — Instituta ab eo Academia bonorum colloquiorum. — Studium legendi libros instituti proprii. — 4° Usus examinum conscientiæ. — Accuratissime ea peragit, nec ullum umquam intermisit. — Nullis tamen scrupulis umquam fuit agitatus. — 5° Diei unius per singulos menses collectio.— Quo pacto diem illum transigeret.

Joanni, ad asserendam subducendamque longissime innocentiam suam ab omni noxa, seu adversus regulas Religionis, seu præcepta consiliave divina (uti diximus ab eo propositum fuisse) præter singulare Dei præsidium, hæ quinque insuper res auxilio fuere : indoles et bona natura, ordinata vivendi ratio, linguæ custodia, usus examinis conscientiæ, diei denique unius mense quolibet, ad res animi sui excutiendas disponendasque vacatio : quorum omnium observatio a præsidio gratiæ nascebatur.

Primo quidem, ad rem quamcumque maximi refert bona præditum esse natura, sed præcipue id conducit ad formandos mores, vitamque cum virtute instituendam. Causæ enim, cur

difficulter admodum peccata lapsusque omnes evitari possint, eæ fere sunt : quod in humanorum corporum temperatione non semper inter se congruunt ea ex quibus ipsa constant, sed plerumque inæquali mixtione redundat aut bilis, aut pituita, aut sanguis, aut melancholia : quas ob res et in ea vitia homines proclivius incidunt, in quæ superantis humoris impetu violentius impelluntur. Atque hinc usu venit, cum casus aliquis inciderit, repente ut concitetur erumpatque appetitus, qui nullo rationis expectato imperio, eam antevertat, ac vi etiam per injuriam subigat libidini suæ. At in fabricando compingendoque Joannis corpore, cælum ipsum atque elementa, natura quoque et gratia (ut omni ex parte quam perfectissimum esset) videntur consensisse. Etenim tam justa erat mixtionis proportio, ut in ejus temperatione partes nullæ dissentirent. Crederes humorum portiones æquis libræ lancibus fuisse admensas, ita nullius præ altero vis, præterquam sanguinis modici, dominabatur.

Quoniam vero affectiones animi naturaliter constitutioni corporis obsequuntur ac parent, ex eaque harum operatio pendet, quamdiu videlicet animus hic corpori hæret affixus; cum corpus præstantissima temperatione constitutum esset, affectiones quoque motionesque omnes in animo ejus moderatissimæ exstitere. Ille igitur,

et divina gratia nixus, et sui vigilantissima custodia septus, haud difficulter providere poterat (uti faciebat) ne appetitiones ullæ rationem præverterent, aut tenebras offunderent, aut alieno tempore, aut vehementius quam ratio permitteret, tumultuarentur. Atque ad hunc modum perpetuo carnem spiritui, corpus animo, sensus cupiditatesque rationi, rationem Deo subjiciebat, et beata quadam pace, absque seditione ac contentionibus, in hoc bene temperato suo regno perpetuo fruebatur.

Hinc præclara quædam illi nascebantur ornamenta, quæ cum in eo eniterent, non solum amabilem et carum omnibus, sed et mirabilem efficiebant. Imprimis perpetua illa alacritas, tranquillitasque animi, cum interna pace conjuncta, quæ ex oculis ejus atque ore toto elucebat, prodebatque sese constanti ac numquam intermissa hilaritate vultus, modestoque oris risu. Deinde idem ille morum tenor expers mutationis, nullo umquam ullius motionis, turbationis affectionisque concitatæ signo interruptus. Denique jugis illa affluentia nunquam satis laudatæ lætitiæ spiritualis quam tanti fecere Sancti et vitæ spiritualis magistri, utpote quæ arguat eximiam conscientiæ puritatem, contemptum rerum caducarum, vacuitatem appetituum, gratiæ divinæ ac rationis in omnes affectus motusque animi perfectum dominatum.

Interrogatus quandoque ab ejusdem secum cubiculi contubernali (1), nunquamne percepisset sensum nascentis in se tristitiæ, seu melancholiæ; respondit, se nescire quid rei melancholia esset, neque meminisse, se umquam, quid id esset, fuisse expertum. Et audita semel Rectoris domestica adhortatione, docentis, quantum Religioso homini noceret tristitia, utque mater èsset ac nutrix tentationum omnium, ipse in colloquio sæpius ea damna enarrabat ac detestabatur, subjiciebatque, se usu quidem id non didicisse, sed auctoritate P. Rectoris ita affirmantis; cetera, per Dei gratiam numquam expertum. Et sane felix ille Joannis animus haud obscure indicabat, se in hac mortali vita gustum quemdam præcipere æternæ felicitatis, ac pignus accepisse secuturæ gloriæ, ad quam a Deo (tantis amoris ejus significationibus) erat prædestinatus.

Erat quippe non affectata in eo gravitas et alacritas sine levitate, et cum vel maxime hilaris esset, risus tamen semper erat moderatus, eumque modestia, decentia et externa quadam humilitate temperabat. Unumquemque magna affabilitatis dulcedine, gratiaque alloquebatur; ac licet in agendo serius esset et gravis, id grave tamen nemini erat, sed jucundum gratumque. Numquam auditus vel per jocum illudere ulli,

(1) Alexandro Rimbaldesi.

aut irridere; numquam explodere quemquam aut verbis lacessere; numquam queri, aut doloris alicujus sensu a quoquam se fuisse læsum significare; effervescere numquam, nedum irasci, aut vocem solito contentiorem aliquando mittere, etiamsi vigens ei esset natura spiritibusque concitata. Si quis eum laudaret, vidisses non inflari aut efferri, sed honesto suffundi rubore. In culpam vocatus, aut reprehensus, non se dabat mœrori, sed demittebat humiliter animum, gaudentem potius atque acquiescentem, nullaque perturbatione commotum. Non dejiciebatur adversis, aut ullis a serviendo Deo difficultatibus absterrebatur, sed in ejus auxilio confidens, animos addebat etiam fratribus suis, eosque incitabat. Actu promptus erat, non tamen anxius. Occasiones agendi neque celeritate nimia antevertebat, neque cunctationibus, socordiaque corrumpebat, denique in rebus ejus omnibus emicabat splendor quidam pietatis, qui tantam ei venerationem conciliabat apud omnes, ut vulgo non nisi summa reverentia approbationeque de eo loquerentur.

Res *altera* quæ magno ei adjumento fuit, erat certa ac *constans vivendi ratio*, quam semper laudatissimam tenuit. Solebat semestribus singulis (per id triduum quo nostri negotiis fere omnibus sibi interdicunt, ad instauranda melius renovandaque Religionis vota) distribuere

temporum, dierum, horarum etiam intervalla, quibus ad res quasque erat opus. Atque hanc partitionem in proximæ Renovationis tempus observabat constanter; ac tunc, si opus esset, ob diversitatem vel habitationis, vel occupationum, eam commutabat.

Quoniam vero interdiu spatia quædam temporis incidunt aut abrupta aut brevia, quæ facile incurioso alicui elabuntur, ille qui tempus omne Deo impendere cupiebat, peculiares quasdam actiones affixerat eorum singulis, pro cujusque duratione; prorsus ut ne momenti quidem faceret jacturam. Neque ea temporis parcimonia contentus, insuper præmeditata habebat quæcumque ei incumbebant agenda : qua nempe ratione ea bene ac sancte præstaret. Exempli gratia, quomodo cubitum iret, aut in lecto se haberet, vel ex eo surgeret, qua diligentia meditationem præpararet eamque perageret, qua pietate sacro interesset, aut ad communionem se pararet, qua cura examinaret conscientiam, qua denique sollicitudine rem quamlibet aliam (quam quidem sciebat sibi fore peragendam) administraret; adeoque designaverat scripto qua intentione, quo tempore, quibus adjunctis ea res agenda esset, ut quando constitutum rei suscipiendæ tempus advenisset, eam rem præstaret tamquam præcogitatam, omni cum perfectione; ut ex calce Libri

hujus constabit, cui exempla nonnulla subjiciam earum actionum, quas ipse certa ratione faciendas scripto definierat.

Ad hæc, per summam illam vigilantiam sublimius etiam eniti studuit, ut non solum eas res, quas indubie certoque administrare deberet, verum etiam incerta et extraordinaria negotia ad ordinem ac tempus suum revocaret, ne ex improvisis umquam rebus quidquam caperet detrimenti. Exempla ab eo litteris mandata reperio in hunc fere modum : *Si hoc illudve evenerit, tum hoc illudve faciam; si hac illave de re interrogatus fuero, illa istave ratione respondebo.* Unde factum est ut semper considerate loqueretur et ageret, et culpam omnem vitaret. Rogatus aliquando a condiscipulo, ecquid faceret, ut numquam verbis peccaret : *Numquam aliquid dico,* ajebat, *quin prius attendam, ac Deo id commendem quod sum dicturus, ne quidquam proferam quod ei displiceat.*

Tertium, quo plurimum proficiebat, fuit *linguæ* (de qua hic dici cœptum) *custodia;* cujus fere vitio homines vulgo prolabuntur, ut perfectus merito æstimetur, qui sermone non peccat. Joannes igitur tam erat in loquendo circumspectus, ut nullum umquam ejus ab ore verbum sit exceptum, quod non aut necessario, aut utiliter, aut honeste fuerit pronuntiatum. Atque ut diversæ sunt Societatis nostræ, quæ

sermonem spectant, regulæ, ordinationes et consuetudines, Joannes, nulla harum prætermissa, observabat universas.

Juvenis erat verborum parcus, eaque, quibus parce utebatur, bene erant præcogitata, et prius ad limam vocata, quam ad linguam. Numquam ne leviter quidem, violasse silentii regulam visus, neque in Collegio ea regulæ indulgentia usus, qua obiter et perpaucis loqui fas est : atque hoc nomine mirum videri possit (cum adeo esset abstinens sermonis, et rebus spiritualibus occupatus) tam cito tamque accurate didicisse Italicam linguam, ut (quo pertingunt pauci) proxime quoque accederet ad rectam ejus elocutionem, omnesque pronuntiandi sonos. Eo tempore, quod a prandio et cœna animorum remissioni concessum (nos recreationis horam appellamus) semper, ut mos est, italice, alias latine, ad regulæ præscriptum, loquebatur; retuleratque his verbis in schedam : *Cum Præceptore semper utar sermone latino, etiamsi italico ipse me compellaret.*

Nonnemo condiscipulorum (1), pro sua in Joannem insigni opinione, facultatem a Superioribus obtinuerat, cum eo res omnes consiliaque sua conferendi. Hic quoniam non raro, cum silendum esset, ad ejus cubiculum ventitaret, brevissime, si fieri posset, ad eo dimittebatur; si longa res

(1) Nicolaus Radkai, natione Hungarus.

foret, differebatur in horam colloquio designatam. Romam in Collegium venerat Pater quidam, qui Joannem, nuper Laureti notum, de more complexus, diutius morabatur sermone; at ille : *Rev. Pater, nunc colloqui non possum quia tempus est silentii, sed si gratum fuerit Rev. Vestræ, ibo petiturus licentiam a P. Ministro, et statim redibo.* Abit, mox rediit Patremque egregio observantiæ exemplo recreavit juxta et instruxit.

Collegio egressus numquam, ubi frequentia erat domorum, loquebatur; locis vero infrequentibus, si fortè de via quisquam occurrisset, cœptum etiam sermonem abrumpebat, dum obvius transiisset; quod sæpe ei usu venit. Colloquii concessi tempore (ad quod una cum ceteris semper accedebat) de Deo, de rebus religiosis ac sanctis, nec aliis, verba faciebat : et tanto quidem sensu, ut hæc ei maxima consolatio esse videretur, qua frui posset. Contigit eum aliquando inter colloquendum dicere, si quidpiam ei morbum aut ægrotationem afferre posset, illud fore imprimis, si non reperiret quocum de Deo Domino nostro posset sermonem instituere.

Quanto autem affectu, persuasione et gratia de divinis rebus loqueretur, vel ex eo colligi potest, quod gravissimi Patres affirment, verbis Joannis sensisse se moveri, accendi et in spiritu

adjuvari, magis quam ipsa oratione, aliisque exercitiis spiritualibus. Habebat enim singularem cum in dicendo gratiam, tum in persuadendo vim, utque erat urbanissima sua affabilitate omnibus charus, nemo non ei illud deferebat, ut, qua fere collocutione eum delectari scirent, eo sese ultro inclinarent. Ambitiosius namque ejus necessitudo a multis expetebatur, quam ipse cujusquam congressum colloquiumque quæreret, qui omnium promiscue societati sese inferebat.

Si illis forte, qui aut juniores erant, aut in inferioribus studiis versabantur, sese adjunxisset; tum suavi quadam nec molesta auctoritate de rebus piis sermonem ordiebatur ipse, nec invite reliqui obsecundabant. Si majorum circulis accessisset, simplici quodam candore, singularique gratia subjiciebat idoneam sermonis materiam, quam illi scilicet arriperent, atque id quod intenderat animo, obtinebat. Scriptum reliquit, universo illo tempore, quo Romano in Collegio degit, non nisi semel et iterum laborasse, ut dissertationis piæ ansam inferret; nec illud quidem cujusquam recusantis culpa, sed ipsa magnitudine circuli collecti, in quo eumdem diutius produci sermonem difficile videbatur. Quare et ipse plurium quam duorum triumve sodalium cœtum, via qualibet inter colloquendum refugiebat, et aliis ut vitarent persuadebat.

Duo professores scholarum, simul forte a prandio obambulantes in horto, Joannem eminus adventantem conspicati, ex compacto atque animi gratia simularunt se colloqui de rebus belli. Joannes compositis ante pectus manibus, vultu in terram defixo, cum iis silens utique ambulabat; ac tum demum illi subridentes, patientia ejus recreati, ingenue scilicet professi sunt, ad militiam se joco et de industria avertisse sermonem, protinusque, unde abierant, in dissertationem rerum spiritualium rediere.

Multum operæ ponebat in silva seu copia quadam colligenda spiritualium rerum, quas inter colloquendum in commune proferret. Si quid rarum exquisitumque aut in concionibus, aut lectionibus publicis, aut domesticis adhortationibus, aut lectione super mensa audivisset, aut etiam legisset ipse apud sacros auctores, scripto id annotare consueverat.

Verum duæ res præ ceteris in hoc studio longe præstantissimæ fuere. Prima, quod superiorum auctoritate cum in contubernio separato degeret, inter sodales illos suos instar academiolæ cujusdam religiosæ instituerit (vacationum diebus, quibus in vineam itur rusticatum) quam ille non Academiam, sed Colloquia spiritualia vineæ appellabat. Interdiu igitur, ad horæ spatium, in porticum aliquam conveniebant. Hic virtus aliqua proponebatur, plurium sententia

selecta, de qua conventu proximo essent dissertaturi. Primis comitiis actum de fraterna charitate, de modestia, de humilitate, de custodia sensuum, de sui ipsius abnegatione, de oratione, de patientia, de lætitia spirituali; nam hunc ab eo descriptum ordinem reperio. Tum uni alicui eorum dabatur provincia hanc illamve virtutem definiendi, indicandique si qua regula, si quod Superiorum mandatum, eam præciperet, ejusque faceret mentionem. Alius aliquis referebat, qui virtutis illius actus interni externive possent exerceri. Huic cura erat adducendi incitamenta quæ ad amplectendam virtutem invitarent. Illi erat munus impositum dicendi, qua ratione ac via, quibus mediis, ad virtutem obtinendam pertingeretur. Isti denique cautio erat adferendi exempla Sanctorum, qui hac illave virtute præcipue floruissent. Quilibet sese ad impositam provinciam per hebdomadam præparabat, dieque feriato in vineam coibant, loco constituto, deque rebus propositis cum simplicitate et brevitate disserebant. Tum sub finem permittebatur unicuique quæstiones de pertractata virtute ponere : quibus expeditis, ad vitiorum fugiendorum tractationem, eodem ordine procedebatur. Viguit id institutum etiam post Joannis mortem, vigetque, ut audio, usque huc. Neque alio hæc spectabant, quam ut sese mutuo ad virtutem accenderent et vitio-

rum fugam, simulque materiam colligerent rerum idonearum, quibus quamplurimos colloquendo juvarent. Reperio autem perscripta a piissimo Juvene omnia quæ in jam dictis conventibus suo tempore fuere pertractata.

Altera industria, quam in eumdem finem adhibebat, fuit perpetua diligentissimaque lectio Constitutionum, Regularum, Annalium et Historiarum ordinis nostri, Vitarum etiam Sanctorum et Beatorum Societatis, aliorumve sanctitate insignium virorum. Hæ tantæ ejus erant deliciæ, ut aliquando mihi diceret : *Mea delectatio sunt Regulæ, Exercitia, et Vitæ nostrorum Beatorum.* Has igitur legebat cum proprii profectus gratia, tum ut iis penitus imbutus, nihil eorum ignoraret. Quantum vero ipse ab hoc suo studio sibi promitteret, vel inde conjici possit, quod extremo morbo ab adolescente quodam Polono (1) interrogatus de modo recreationem religiose peragendi, ita responderit : « Si vis » colloquia spiritualia facile et feliciter indu- » cere, oportet legere Historias et Annales So- » cietatis; hæ enim res, cum propriæ nobis » sint, omnibus placent : et ego quidem tan- » tam earum silvam collegi, ut nulla prope dis- » sertatio cujuscumque argumenti incidere » possit, cujus non exempla aliquot ex ipsis So- » cietatis rebus afferre possim. »

(1) Nicolao Grodreski.

Præterea confecerat sibi syllabum omnium Martyrum virorumque sanctitate illustrium ordinis nostri (1), quos anniversariis obitus diebus, magno eorum quibuscum loquebatur oblectamento, recreationis tempore celebrabat. Observatumque est, quoties per aulam collegii (in quo eorum imagines propositæ sunt) pertransiret, aperto semper capite iis habuisse honorem. Tam erat accurate instructus in primordiis, progressu, universoque Societatis nostræ statu, ut non legisse modo, verum etiam

(1) Tum Menologia Societatis qualia nunc habemus, nondum exstabant, verum eo ipso tempore hujusmodi opus nuper aggressus erat in Belgio P. Jacobus Stratius, de quo hæc habet Sotwellus, seu potius Alegambe in Bibliotheca Societatis : « Jacobus » Stratius, natione Belga, patria Antverpiensis, natus anno » salutis 1559, in Societatem juvenis venit cum ageret ætatis » annum 21. In ea Rector administravit Collegium Lovaniense » annis 11, Brugense 10, Provinciam quoque Flandro-Belgicam » trienno. Vir pietate in parvo corpore magnus. Plurimi faciebat » domesticarum virtutum exempla, ideoque Menologium Socie- » tatis labore maximo contexuit, quo in singulos anni dies, ex » Historiis et Annuis Societatis, ponit elogia mortuorum in Socie- » tate virtute aliqua insignium. Etc. » Dein enumeratis libris ab eo editis subjungit : « Denique congesserat *Menologium con- » tinens per singulos anni dies elogia hominum Societatis* » *nostræ, qui cum laude virtutum e vita migrarunt, tomis* 12, » et asservantur Mss. Romæ in Archivio generali Societatis. » Post Stratium Menologia edidere Joannes Nadasi anno 1665 (qui profitetur se Stratii tomis plurimum usum. Cfr. Annus dier. memorab. Soc. in Præf. et p. 188), Josephus Patrignani anno 1730, Joannes Drews anno 1750, aliique; ut omittam Menologia Mss. diversarum Provinciarum, tam antiquæ, quam hodiernæ Societatis.

scripsisse historias annalesque ejus videretur : assererentque gravissimi Patres (1), qui sæpius de Societatis rebus disserentem audierant, numquam sibi repertum alium, qui aut majorem earum rerum cognitionem haberet, aut majore affectu de iis loqueretur, aut loquentes audiret.

Quartum præsidium, quo se ob omni defectu immunem servabat, fuit *perpetuus usus Examinum conscientiæ;* res adeo a S. Ignatio laudata, necessariaque omnibus religiosæ perfectionis studiosis. Examen, quod nos generale appellamus, bis ille per diem, mane, iterumque vesperi, una cum ceteris Societatis alumnis, horis constitutis habebat. Alterum præterea (quod particulare a nobis vocatur) instituebat quotidie tempore stato (2), nisi tamen pro locorum rerumve gerendarum diversitate mutaret. Atque ille uno fere ante obitum mense mihi dicebat (quod scripto etiam commendaverat), numquam vel unum horum trium examinum ullo abs se die fuisse suo tempore intermissum; quodque nec pro toto mundo, vel examen, vel orationem, vel apertam illam simplicitatem in detegendo se Superioribus intermittere vellet.

(1) P. Franc. Piccolomini, P. Gabr. Venustus, et alii.

(2) Ex his et sequentibus intelligitur eum aliquod examen particulare instituisse, extra tempora duplici examini quotidiano ex regulæ præscripto destinata.

Sic habent ejus verba : *De mediis quibus Societas utitur ad finem suum consequendum, magnifacio orationem, examen particulare et generale, et candorem apud Superiores ; nec recordor umquam me ullum ex his omisisse, nec pro toto mundo omitterem.* Quin et illud jam secum decreverat, ne tum quidem horum aliquid prætermittere, cum vel æger lectulo teneretur : asseverabatque, his præsidiis, ad egregiam puritatem perfectionemque posse perveniri.

Revertens aliquando e Patrum Professorum Domo, quo se, ad audiendam Præpositi Generalis adhortationem contulerat, socium ita temporis admonebat : Poterimus per viam conscientiam examinare, nam in Collegio jam signum examini faciendo datum erit. Idem alteri cuidam repetiit, dum forte Dominico die e SS. Trinitatis ad Pontem Sixti rediret, quo ad subserviendum Communioni generali fuerat ablegatus. Quodam vacationis hebdomadariæ die, proxime prandii horam, in vinea obambulans cum aliquo sodalium, Frater mi, inquit, hoc tempore soleo breve examen instituere (1) ; et cum dicto discedens, quod dixerat, illico facere incepit. Eaque libertate, sine ullo humano respectu, id genus res observabat.

De examine particulari ita sentiebat, ut

(1) Agitur hic verisimilius de examine particulari. Vide notationem præcedentem.

dicere soleret nullum, eo constanter adhibito, præstantius præsentiusve esse remedium exscindendis vitiis, aut virtutibus inserendis ac puritati cordis acquirendæ; ipseque ad rite id obeundum, duabus se rebus excitabat : in primis exemplo S. Ignatii, Lutetiæ operam litteris navantis, qui summa id cura inter studendum exercebat. Deinde etiam cogitando, quanti particulare examen fecissent semper primi Societatis nostræ Patres. Ipse autem ad amussim regulas et additiones omnes, quas huic examini faciendo S. Ignatius in libello Exercitiorum suorum præscripsit, sequebatur. Si vero aut per causam, aut per oblivionem, unam aliquam ex his regulis vel additionibus omisisset, præterquam quod certa se ipse pœna mulctaret, ultro etiam apud Superiorem aut Præfectum conscientiæ se accusabat. Quam rem, ut cautior in posterum redderetur, pro freno et calcari sibi esse asserebat.

Præterea, eo ipso die quo examen istud cœperat adhibere vitio alicui aut pravæ propensioni exscindendæ, exempli gratia superbiæ, simul actus duos virtutis contrariæ, nimirum humilitatis, mane unum, de prandio alterum, incipiebat exercere. Die sequenti binos item amplius ejusdem virtutis actus; die tertio, geminos iterum alios adjungebat; qui numerus adeo excrescebat, ut in decades multas perveniret; plane

ut mirum sit, mentem tot aliis rebus fatigatam non gravius ab eo læsam fuisse. Eadem vero ratione virtutum actus multiplicabat, quoties virtuti alicui adipiscendæ per id examen incumbebat. Præsidio horum trium examinum (quæ magna applicatione diligentiaque quotidie exercebat) perfectam sui cognitionem nactus, observabat minimas etiam cogitatiunculas suas, ac motus quoscumque primores, et affectus propensionesque : et omnia scripto adnotabat.

Quamvis autem res ipse suas acriter admodum minutatimque excuteret, mentis nimirum puræ adeo ac teneræ, ut Præfecti confessionibus ejus audiendis vix culpæ ullius reum comperirent, tamen, ut illi affirmant (1) et ego ab eo accepi, numquam scrupulis ullis fuit agitatus ; ac sodali cuidam suo hæc ingenue fassus est : «Non » recordor me umquam in tota vita, scrupulum » ullum habuisse.» Quod quidem magnum mihi visum in eo est, qui res suas omnes adeo perspiciebat accurate, ut non modo perpenderet actiones et verba, sed et cogitata, et animi quoque interiores affectus ; quemadmodum iis schediis constat, quæ Superioribus ad impetrandas objurgationes publicas in triclinio offerebat, in quibus tam exiles defectus adnotabat, ut haud obscure appareret, quanto lumine spirituali

(1) P. Marcus Vandoorne.

esset illustratus, quantaque innocentia duceret vitam. Qui vero hæc audiebant, admiratione ac sancto quodam pudore afficiebantur : et plurimi quos novi (pro ea quam de eo conceperant sanctitatis opinione) id genus schedia habuere in honore.

Sed ne in quotidianis his exercitationibus vel minimum umquam intepesceret, utque, ubi opus esset, eas renovaret, aliam insuper piissimus Juvenis industriam tuendi servandique earum perpetuum vigorem excogitavit. Nimirum, *de Superiorum licentia diem festum aut alium, quo a studiis vacaret, quotmensibus seponebat;* quo die neque cubiculo egrediebatur, nec cum ullo loquebatur, perinde ac si Exercitia spiritualia peregisset; extraque quaternas (quas meditando consumebat) horas, diei reliquum animi sui rebus inspiciendis impendebat. Diem cum die, hebdomadam cum hebdomada, mensem cum mense componebat, in semet descendendo, ut damni lucrive rationes sibi constarent. Inquirebat an regulas accurate observasset, an ordinem quem sibi præscripserat, et bona proposita, quæ animo destinaverat, constanter tenuisset; quemadmodum examina conscientiæ peregisset; quomodo custodiam oculorum, linguæ et reliqua omnia servasset. Et si hujus suæ citharæ fidem aliquam remissiorem advertisset, eam protinus intendebat, ut suavem con-

centum faceret auribus divinis. Atque hæ fere artes et industriæ sunt, quibus Joannes ad vitanda mala et defectus omnes declinandos (quæ prima est Justitiæ pars) utebatur : nunc, qua ratione partem alteram bene agendi impleverit, ex illo Davidis monitu : *Declina a malo et fac bonitatem*, aspiciamus.

CAPUT QUARTUM.

Summa Joannis de Societate existimatio. — Honorifice de omnibus Religiosis Ordinibus loquitur. — Religiosos omnes veneratur. — Ejus amor in Societatem. — Vestem religiosam cum affectu exosculatur. — Amabat et venerabatur homines omnes Societatis omniaque ad eam spectantia. — Amor quem externis Sociis deferebat. — Amor quo erga Fratres Coadjutores afficiebatur. — Ejus in ægros et infirmos affectus. — Ad comitandum alios promptissimus est. — Remedium adfert cuidam de vocatione sua deserenda cogitanti. — Quanti fecerit vitam communem. — Vitium singularitatis odit. — Recreationi se subducere, Joanni singularitatis indicium est. — Ludebat invitatus, ut omnibus se accommodaret.

Quanta sollicitudine defectus omnes Joannes vitaverit hucusque visum est; nunc ejus virtutes nonnullas declaraturi (licet de pluribus passim jam dictum sit) illud primum ponimus, maximam apud eum exstitisse Societatis existimationem, et tantam quidem, ut verbis ea explicari haud queat : quod soli illi intelligunt, qui quotidiana ejus familiaritate utentes, ex loquentis id ore acceperunt. Non aliter de ea ac de re aliqua divina, gravibus dignisque verbis

loquebatur. Consueverat eam appellare, Societatem sanctam, Societatem amoris, opus divinum, matrem nostram. Opinabatur vitæ nostræ institutum perfectam quamdam esse similitudinem illius vitæ quam Christus degerat in terris, unumque excellentissimorum Ordinum qui hodie in ecclesia florent. Quam sententiam equidem credo et aliorum esse de Ordinibus quoque suis, ad quem quisque divinitus vocari semel se existimavit. Quantumvis vero magnifice augusteque de Societate censeret, adeo tamen honeste et tanta cum reverentia de aliis quoque religiosis Ordinibus loquebatur, ut nec earumdem familiarum alumni dignius quidquam in earum laudem adferre potuissent; quin imo, si disserentem audivissent, admirati cum essent et omnino acquievissent.

Quemcumque virum Religiosum in plateis obviam habebat, prior ipse operto capite venerabatur, comitemque ejusdem officii commonefaciebat. Dicebat hac se ratione in Eremitis honorare S. Augustinum, in Monachis S. Benedictum, in Minoribus S. Franciscum, in Prædicatoribus S. Dominicum, in aliis alios viros sanctitate claros.

Summa illa quam de Societate imbiberat opinio, admirandos in eo excitabat effectus. Ac primo amorem quemdam intimum tenerrimumque erga Societatem, cujus lætis successibus

gestire cum vidisses, sollicitum famæ ac nominis ejus, quam Matrem scilicet appellabat. In quanto autem beneficio duceret Religioni se esse adscriptum, vestibusque Religionis indutum, arguit insignis quidam pietatis actus, quem mane, inter vestiendum quotidie exercebat, imitatu dignum, atque his ab eo verbis expressum: *Cum tunicam tenebis manu, prius quam induaris, osculare eam cum affectu, lætus te dignum esse, qui eo die vestiaris insignibus Christi.* Atque hunc amorem erga Societatem et vestem religiosam ad ultimum usque vitæ spiritum conservavit; petita etiam in ea veste moriendi facultate, uti deinceps referetur.

Excellens hæc de Societate opinio, et constans in eam affectus, non solum illi conciliabant summam in ea vivendi quietem ac felicitatem, sed et suavissimam sæpe teneritudinem, quam duabus vicibus potissimum, ut ceteras mittam, mihi significavit, scriptoque expressam reliquit. Ac primum quidem, mense Decembri anno 1620 his me verbis compellavit : *Contentissimus vivo in vocatione mea, et magnam sæpe sensi animi teneritudinem erga Societatem.* Iterum, mense Junio anni 1621, prius fere bimestri quam e vivis abiret, *Vivo,* inquiebat, *maxime contentus; numquam, laus Deo, tentatus fui, et hoc semestri talem affectum sensi erga Societatem, qualem numquam antea.*

Dicere solebat, sperare se, duabus præcipue rebus Societatem diu incolumem fore. Prima, quod malis omnibus in ea pateret ad dimissionem janua. Altera, quod bonis omnibus præclusa esset ambitionis via, per dignitatum abdicationem, quas accipere Professi non possent, ut neque ab Ordine dimitti; quas ob res Societati gratulabatur. Augurabatur Societatis numerum ad sexdecim aut octodecim capitum millia perventurum; amplius nihil esse necesse : nam si excederet, ægre servatum iri disciplinam, difficilemque fore in tanta multitudine gubernationem.

Jam, uti amabat Matrem, ita et filios omnes amore ac reverentia prosequebatur, et res ejus omnes magni faciebat; quod ex sequentibus indiciis intelligetur. Qui semel ei præfuerat, is perpetuo ab eo amabatur, colebaturque. perinde atque adhuc cum imperio præsset. Tanta ei erant in opinione Sacerdotes, ut inter ambulandum seu domi seu foris, dimidio palmæ spatio ab iis retro distaret, ne eorum latera vicinitate exæquaret; iisque præsentibus pauca, nec nisi verecunde proferebat. Quoties domi Sacerdos aliquis ætate gravior occurreret, decedebat aliquantum de via, morabaturque tantisper, aperto inclinatoque capite, dum Sacerdos transiisset, tumque ille pergebat.

De Professis Patribus quatuor votorum ita

scripsit : *Professorum ero observantissimus ;* utpote quorum gradus sibi plus videretur mereri honoris. Si quem Societatis hominem in plateis forte conspicaretur, protinus suavi alacritatis benevolentiæque significatione salutabat, cetera licet ignotum nec umquam antea visum ; rogatusque a socio aliquando, quid tantam in ignotos præ se ferret affabilitatem, respondit : *Quia fratres mei sunt.* Eaque familiaritate cum Patribus Fratribusque exteris domi versabatur, ac si pridem omnes noti familiaresque fuissent.

Quoties nostrum aliqui longinquis e mundi partibus adventabant, ad complectendos eos, pro more legum nostrarum, diligentissimus aderat ; eorumque, quibuscum forte tum loquebatur, societate tantisper abdicata, ad id officii alacer advolabat, quod jam inde Apostolorum memoria natum servatumque a priscis Monachis (1) ac viris Religiosis, illi *osculum pacis* appellabant ; nam leguntur id fecisse vultu hilari, capite aperto, ac decenter prono, submisso ad terram corpore : opinati sub hospitis persona se Christum accipere, affirmantem : *Qui vos recipit, me recipit* (2). Hunc morem filios suos edocebat magnus ille Occidentalium Monachorum Patriarcha Benedictus (3), præscribens hanc le-

(1) Ut testatur Ruffinus Lib. 2 de Vitis Patrum cap. 7 et passim apud Rosweydum. Cfr. Martene et Calmet in regulam 53 S. Benedicti.

(2) Matth. 10.

(3) Regula 53.

gem : *Venientibus, sive discedentibus hospitibus, inclinato capite et prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur.* Hac cogitatione Joannes hospites nostros, ut regula præscribit, et eos etiam qui expleto tirocinio vota emittebant ex more complectebatur; ajebatque, sibi quidem jucundissimum futurum fuisse, si venientibus abeuntibusque nostris signum aliquod ære datum fuisset, quo audito omnes ad januam descenderent, complectendi monstrandæque charitatis ergo.

Singulari semper affectu, ut notum est omnibus, ferebatur in Fratres nostros Coadjutores, quibuscum magna quoque jucunditate versabatur. Nam cum ad alios indifferenter accederet, ad hos sub colloquendi horam se studio conferebat, quod cum illis pro sua simplicitate candoreque videretur liberius de spiritualibus agere posse, sensusque in meditatione perceptos cum fructu effundere. Hos quoties vel eminus prætereuntes vidisset, statim nudato capite salutabat, etsi invicem illi longitudine intervalli salutantem subinde non observarent. Ipsi vero, quod innocentis juvenis sanctique opinionem de eo comprehendissent, et consuetudinem ejus expetebant, et fidenter etiam ut cum eo loquerentur, ab eoque instruerentur, ad se invitabant. Et quando per concessæ collocutionis tempus, fruendi ejus copia defuerat, si forte ad obeunda

diebus Festis templa facultatem impetrassent. Joannem sibi comitem dari a Superioribus exorabant; atque ipse cubiculo evocatus, facilitate magna ingenuaque charitate eis obsequebatur; nec per viam, nisi divinis de rebus, verba faciebat.

Conspicatus aliquando recreationis tempore Coadjutorem quemdam solitarie stantem, Patri cuidam quocum agebat, Accedamus, mi Pater, ait, ad bonum illum Fratrem sine socio stantem. Alias frequenter duobus simul Coadjutoribus visis, ipse tertium se admiscebat officii præstandi causa, aliorum suorum collegarum societate non inurbane deserta, qui studio ejus approbato, mox ita inter sese : *Fatendum est, Juvenem hunc revera esse sanctum.* Dici non potest, quanta eos charitate, cum ægri essent, habebat. Sæpius visebat per diem, cælestibus nec injucundis colloquiis recreabat, æstate ferventioribus horis aquam eis e fonte recentem hauriebat, ori refrigerando propinabat, lavandis manibus affundebat; atque ut eorum corpora reficiebat aquæ recentis frigore, sic animos accendebat et consolabatur ardenti illa charitate, qua illis serviebat.

Feriis sextis, quando Hortatio domi haberi solet, lubens a cœna, quæ dicta erant, iis repetebat; quotidie vero historiam aliquam de Beatissima Virgine adferebat. Cumque illi

exploratum haberent, qua fere hora venire soleret, magno ejus desiderio opperiebantur adventum, lætique dicebant : mox aderit Joannes ad exemplum narrandum. Et si quando impeditus ad horam forte non venisset, P. Ministrum rogabant ut venire eum juberet, adeo præsentiam illius sibi consolationi esse experiebantur.

Quotidie ægros omnes promiscue visebat, ab ingressu nosocomii exorsus, eosque solabatur diutius, qui aut rarius invisebantur, aut majore solatio indigebant. Ex cubiculis ubi plures deprehendebat visitantes, brevissime excedebat ad eos, quorum lectuli nullo consortio cingebantur. Quoniam autem aliquando per contagionis metum, ea visitandi licentia per dies aliquot domesticis fuerat a Superioribus interdictum, Joannes, qui visendi officio defungi pro more non poterat, ab ægrorum curatore diligenter quærebat, ecqui singuli valerent.

Hunc charitatis affectum non ægris modo, sed valentibus quoque præstabat, quoties obsequium suum poscebatur ; vixque pronuntiaverant verba, cum promptus hac similive forma respondebat : Certe R. Pater, libenter. Si laboraret P. Minister de repericndo quem socium adderet egredi cupientibus, Joannes unicum ejus erat perfugium , obtemperabatque semper, nullo commutato verbo. Ac quia semel a studiis ad

comitandum avocatus (cum tuendis forte Philosophiæ thesibus incumberet, temporeque egeret) senserat adversus imperium levem aliquam repugnantiam, in præsens quidem, nullo dato signo comitatus fuit, sed mox domum reversus ad suum illum animi motum advertere, diebus aliquot singulare examen adhibere, maturas præterea considerationes insumere, donec paulo post ad me venit indicatum, partam tandem, per Dei gratiam, sui ipsius victoriam, neque se jam ullam sentire repugnantiam.

Peractis Philosophiæ disputationibus, sæpius eo Minister ad egrediendum utebatur; evenitque subinde (sive quod plures ejus appeterent societatem, sive quod vacuus nullus illo promptior esset, aut magis præsto), ut vix cum uno aliquo regressus domum, denuo cum altero egredi juberetur. Ac semel flagrantissimis æstatis caloribus, ter quaterve die uno foras egressus, cubiculi ejus contubernalis vicem Joannis miseratus, Obsecro te, mi frater, inquit, vide etiam atque etiam quid agas, neque per imprudentiam pecces, aut certe in morbum te calores isti conjicient. Tum ille placide, Mi frater, ait, prudentiam Superioribus relinquere debeo, ego solum obedire teneor.

Festo forte die Scholasticus aliquis, ferventissimo leonis sidere, sub ipsum meridiem egredi parabat : addubitans P. Minister quem ei comi-

tem jungeret, Joannem tandem designavit. Is in cubiculo repertus Coronam rosariam volvere, nihilo segnius quam rogabatur, operam comitandi addixit, priorque alterum ad januam prævenit, qui eum tantis cæli caloribus ad Carthusianorum Cœnobium longe sane a Romano Collegio abduxit; ibique vocato Monasterii Priore, cum eo seorsim in cubiculum secedente, Joannem duorum a se cubiculorum spatio interclusum relinquit. Mox Cœnobio cum eo egressus, Joannes socium compellans, Existimas tu, mi Frater, inquit, ignorare me quid intro negotii gesseris, sed plane id novi. Tu de vocatione tua deserenda agitas, at non ita eveniet; ego adeo pro te orabo, ut id efficere non valeas.

Hic ille deprehensum se sentiens, obstupuit scilicet; et quoniam cum Cœnobiarcha sic jam convenerat, ut ille mox ad Rectorem in Collegium hac de re acturus veniret, ne ipse in Collegio tum adesset, Joanni persuadere nitebatur, ut Lectionis in Scripturam audiendæ obtentu, ad Ædem Jesu tantisper secum digrederetur. At obnixus Joannes, *Non*, inquit, *sed eamus domum, veniamus domum;* quo cum illum perduxisset, statim ad me accurrens, rem omnem uti erat explicavit. Ego adolescentem, probum sane atque egregie religiosum, ad me accersivi, reperi omnem ejus pugnam esse ab animi de-

jectione ac mœstitia, qua sibi jam impar atque inidoneus muneribus Societatis ac nullum operæ suæ pretium facturus esse videbatur : quare in eam venerat opinionem, salubrius facturum, si in locum aliquem se reciperet, ubi sui solius cura gerenda esset. Consolatus sum illum, tentationem et errorem detexi; tum illico acquievit, præcipue, quod amaret magnique duceret Societatem. Gratias mihi egit, et nunc vivit inter nos opinione optimi Religiosi et strenui in vinea Domini operarii. Hujus tamen facti laudem malignus dæmon Joanni in calumniam vertit, extremo morbo scilicet, uti loco suo commemorabitur.

Res altera momenti maximi, dignaque quam ejus imitatione universi amplectamur, illa est : quod Joannes propter augustam illam existimationem, quæ ei de Societatis instituto ac moribus jam nata erat, hanc quoque de ea apud se sententiam statuebat, Societatem nimirum tam bonis esse legibus vinctam, tam apte constitutam ex præscripto Evangelicorum Consiliorum, ut si ad amussim communem ejus vitam, præcepta ac regulas servaremus, non solum in viros sanctos ac perfectos, verum etiam ad ipsum virtutum omnium culmen, gradumque editissimum perfectionis, re nulla alia adhibita, evaderemus.

Atque utinam verissimum id esse cultores illi

religiosæ vitæ intelligerent, qui non contenti Sanctorum suorum Fundatorum legibus atque institutis, temeraria quadam audacia atque imprudente impetu amant res novas adjungere, ambulantes in mirabilibus super se, insolita quadam severitate ac contractione, de qua tandem imbecillior natura remittere cogitur, referunturque retro ipsi, tantaque celeritate desistunt, quanta susceperant levitate; aut, asperiorem reputantes virtutis viam, deficiunt, abjiciuntque in vitia sese et licentiam; aut cæco sui amore capti inflatique, dicunt cum Pharisæo : *Non sum sicut ceteri hominum;* indeque in præcipitia proruunt, unde inconsultius eniti moliebantur; aut denique valetudinem celerius labefactando, student adipiscendis inter Religiosos commoditatibus; aut si iis non student, Ordo ipse Religiosus, utpote materno in suos affectu, communi charitatis impulsus impetu, eas illis, quas potest decetque, immunitates indulget. Atque ita, qui sublimius volare conabantur ceteris, nec communem cum iis vitam aut leges valent observare.

Joanni certe non erat hæc morum via, qui communis vitæ amantissimus, pro insigni ducebat asperitate ac perfectione, alligare se accurate servandis legibus quotidianæ vitæ, illudque usurpabat : *Mea pœnitentia maxime est vita communis.* Contra vero, instar pestis, singularita-

tem omnem in se aliisque oderat ac defugiebat, principiisque suis hoc quoque adscripserat : *Sequi in omnibus communitatem, et maxime odisse singularitates.* Scriptum reliquit, « Singularitatem esse recessum quemdam a communi » more ac consuetudine, sine necessitate aut » causa; ejus actus esse, ambire aut citra » necessitatem sumere cibos, vestes, resve singulares, communibus se aliorum omnium » occupationibus eximere; » quale esse ajebat, si quis præter Societatis morem recreationi, aliisve (quæ obeunt ceteri) exercitiis se subduceret, aut diverso tempore ea perageret; neque eo tolli actionis singularitatem, quod Superiorum approbatione aut promissu facta esset, sed demi malitiam solummodo judicabat, cum sic esset scilicet obedientiæ permissu facta. Ad extremum adjungit, « singularitatem inimicam » esse charitati, vitam vero communem, præ» terquam quod longe tutissima sit, certissi» mum esse medium obtinendæ sanctitatis, » procul omni periculo inanis gloriæ. »

Insuper dicere solebat, quemlibet scire debere, quemadmodum se iis accommodare oporteret quibuscum vivit; eamque virtutem esse propriam operariorum Societatis, qui uni animarum quæstui intenti, illud Pauli usurpare possint : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

Vivebat nobiscum Joannes eo animi proposito ac decreto, ut nulla omnino in re esset singularis, sed contra perpetuo se ad communem vitam fingeret atque accommodaret, ut quodlibet communis vitæ opus, quantumvis minimum perfectione maxima præstaret; atque hanc laudem sic judicio omnium abstulit, ut per fugam singularitatis, sectando communis vitæ vestigia, plane supra communem virtutem omnium extiterit singularis; non ea solummodo re quod, juxta axioma sibi familiare, *minima maximi fecerit;* sed quod minima illa, quæ singulis in rebus accurate observabat, fuerint instar operis tessellati ac versicoloris, quo res quæque apte circumdatæ et ornatæ, Deo hominibusque gratiores et pretii etiam majoris reddebantur. Nam sane qui minima illa rebus communibus dempserit, simul eis splendorem, pretium perfectionemque detraxerit. Ut exemplo res comprobetur, non juvabat Joannem lusus, sed magis disserendo disputandoque capiebatur. Tamen vacationum diebus (cum Scholastici in vineam eunt) si a quoquam ad ludendum invitaretur, iis horis quibus fas est vel trudiculo ludere, quo per angustum mobilemque circulum ferreum lignei globi trajiciuntur, vel laminis saxisve missilibus quæ ad signum propositum manu projiciuntur, colludebat, ut aliis se accommodaret. Quemcumque vero recens adventantem admit-

tebat in societatem lusus, etiamsi perdendi certus fieret imperitia accedentis; et quidem omni animi contentione ludebat, neque aliud interea verbis atque animo agebat, ludebatque dextere ac scite. Numquam prius ordiebatur, quam salutare Crucis signum publice expressisset, quod omni item actui præmittebat. Numquam in lusu aut verbis contendebat, aut vocem clamosiorem edebat, seu dextere caderet jactus, seu sinistre. Si vincebatur, statim genibus flexis Angelicæ salutationis sponsionem victoribus persolvebat; si victor erat, tacebat potius, neque insolenter gesticbat, neque victis insultabat. Quæ omnis adjunctarum rerum collectio, lusum (rem alioqui genere suo mediam atque indifferentem) elevabat magnopere, nec tempus sine fructu spirituali effluere sinebat.

Plurimæ id genus res de Joanne commemorari possunt, quas qui historiæ gravitatem iis narrandis violandam esse putarent, silentio essent præterituri; at ii qui verius spiritualem ac religiosam vitam æstimant, totidem esse margaritas judicabunt, legentque gratulabundi. Et ego, qui aliud quam prodesse plurimis, propositum mihi nihil habeo, ea scribo, ut adolescentibus nostris, qui in studia incumbunt, pro regula sint atque exemplo vitæ quotidianæ. Ac tria præterea supersunt particulatim enarranda. Primum, quanta diligentia animum ad scientia-

rum studia applicarit. Alterum, quas præcipue virtutes ostenderi texercueritque, in actionibus officiisque vitæ communis. Tertium, quantum pietati religionique deditus fuerit.

CAPUT QUINTUM.

Quibus rebus Romæ studuerit Joannes et quo erga Præceptores suos fuerit animo. — Quomodo studiis se applicarit. — Nullum perdit tempus. — Magni facit doctrinam suorum Præceptorum. — Quomodo intra cubiculum suum se gesserit. — Qua modestia Præceptorum cubicula accesserit. — Ad scholas quomodo iverit. — Examinatur in philosophicis. — Quomodo se ad propugnandas publice theses de universa Philosophia compararit.

Romæ Joannes dum studeret, tribus Præceptoribus usus est, Philosophiæ uno, qui triennio ei Logicam, Physicam, Metaphysicam explicavit; altero Mathematices, quam simul audiendo Physicam didicit; tertio Ethices, quæ ei Metaphysicæ tempore tradita fuit (1). Hos eximio quodam amore reverentiaque complectebatur, pro iisque per diem bis minimum orabat quotidie. Illi vero a quo Philosophiam docebatur, extremis vitæ mensibus, schedam ineunte fere mense in cubiculum adferebat, qua certum orationum pœnarumque (quas pro eo per eum mensem penderet) numerum oppignerabat;

(1) Primus fuit P. Franciscus Piccolomini, cujus toties fit mentio in hac Vita, alter P. Horatius Grassi, tertius P. Tarquinius Galluzzi.

quem eumdem morem sollemnioribus quibusdam Festis erga Admodum Reverendum P. Præpositum Generalem ingenua simplicitate servabat.

De ejus ingenio studendique ratione, ita Philosophiæ Professor (1) testatus est : « De » studiis Joannis illud primum affirmare possum, præter ingenium excellentissimum, rerumque simul multarum sublimi in gradu » capacem, fuisse in eo studium diligentiamque » singularem, quam non posse omnino a quoquam superari existimo, cuique similem vidisse me in ullo alio non memini. Deinde cupiebat ad omnes res, etiamsi forte numquam » profuturas, in quantum posset, idoneum se » reddere; ratus debere hominem Societatis » (sic mihi dicebat) habere pectus amplum, capaxque vel dimidiati mundi : quare nulli » parcebat studio aut labori ad res omnes, linguas, disciplinas, scientias perdiscendas. Denique in studiis suis ita perpetuo e Præceptorum suorum judiciis et consiliis pendebat, » ut nihil omnino faceret arbitrio suo, gauderetque rationem eis reddere laborum suorum et rerum minimarum, summa cum reverentia et honoris significatione. »

Illud præterea antiquum illi erat, in orationibus, meditationibus, collectionibusque animi,

(1) P. Fr. Piccolomini.

de studiis serio peragendis firmiter secum statuere; ad quæ subinde hisce verbis scriptis sese excitabat : « In Religionem veni ego ut laborem, non ut otio fruerer. Hæretici tanto conatu studia sua adversus Christum conferunt; tu pro tuendo Christo diligentiam intermittes? Mundani homines contentione tanta ad inania honoris præmia labores conferunt studiorum, et tu minus divinæ gloriæ cupidus eris, quam illi laudis suæ? Serio te igitur ad studia applices nulla vel minima temporis particula deperdita, et quidquid inter disputandum exceptu dignum audieris, adnotare non omittas. »

Semper autem duo illa postrema quæ apud se decreverat, constantissime tenuit. Ne particula temporis vel minima otioso efflueret, perpetuo secum habebat libellum aliquem aut spiritualem, aut studiis utilem; eumque, si quo loco diutius ei remanendum erat, statim aperiebat legebatque. Calamariam thecam ad disputationes semper adferebat in scholam; altissimoque silentio ad argumenta responsaque attendebat, re nulla alia distractus; et si quid audiret expeditu difficile, aut præclare explicatum, breviter consueverat adnotare. Præterea scriptum aliquod sibi concinnaverat cum hoc titulo : *Bonus Scholasticus Societatis ;* ibique documenta varia e regulis Scholasticorum

maximam partem decerpta, sed et reliquis omnibus utilia congesserat, illudque his verbis absolvit : *Denique memor sit in omnibus se filium esse adeo bonæ Matris Societatis Jesu.*

Magni omnino faciebat doctrinam Præceptoris sui, omnesque ejus opiniones non solum tuebatur ipse, sed et collegas, ut id quoque facerent, adducebat. Ad aliorum Professorum scripta numquam divertebat, vixque etiam oppugnari sententiam Magistri sui patiebatur; qui sensus ejus cum publice notus esset, subinde nonnulli Patrum, præsente Joanne, per jocum sententiæ alicujus auctoritatem elevabant, ut Joannes illico (qua erat animi alacritate ac promptitudine) eam defendendam arriperet.

In cubiculo, stans semper studebat, quiete magna, dubitationesque brevi excipiebat charta, Magistro mox proponendas. Si quid in dictatis occurrebat perplexius, quod explicare non valeret, consueverat ad orationem confugere, flexisque genibus, sic orabat : *Domine mi, tu scis me hanc rem sine speciali auxilio tuo inelligere non posse; oro igitur ut me adjuves. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut mecum sit, et mecum laboret; aperi mihi hujus rei intelligentiam.* Asserebatque, se multum hujusmodi prece lucis impetrare. Tempus studiis assignatum, universum studiis impendebat,

nisi forte contentionem remittere cogeret capitis dolor, quem lectione libri spiritualis, aut Rosarii recitatione mitigabat.

Quantumvis studiis sese applicaret, promptissime tamen ea absque omni etiam repugnantia interrumpebat, quocumque alio negotio sibi a Superioribus dato, ut Sacris ministrandi, alios foras comitandi, etc. Præceptorem suum honore longe maximo observabat; neque triennii tempore rem ullam, quæ ei displicere posset, aut facto aut verbo admisit, apud omnes numquam nisi valde reverenter de eo locutus. Quoties ad Magistri cubiculum ibat, dubiorum proponendorum causa, si intro adesse aliquem percepisset, foris ipse expectabat; alioque egresso, ingrediebatur oculis demissis, nec in eum intuens, quod jam nosset scilicet quem alloquebatur; habitoque honore, aperto manebat capite, dum jussus operire, tegeret quidem, sed nova quaque proposita quæstione, denuo nudaret tegeretque (ut si bene moratus filius adstaret patri), quod inter loquendum quoque cum Superioribus tenebat. Tum dubitationes Magistro proponebat semper latino sermone; ac si prima statim explicatione responsionem non caperet, post exiguam cogitationis moram, modesto cum risu, aperte simpliciterque respondebat : *Vere, Pater, non intellexi;* at quando assequebatur quidem, sed tamen propositæ abs

se difficultati jndicabat non esse penitus satisfactum, ne contendendi studio videretur Magistri sententiam oppugnare velle, ad eum modum respondebat, ac si suæ vitio tenuitatis tenebras nondum penetrasset, quibus discussis, mox solita reverentia discedebat. Si quando autem una cum aliis collegis in Professoris fuisset cubiculum per causam aliquam advocatus, quamprimum convenire videbatur, religiosa se libertate recipiebat, abibatque gratia tanta, ut remanentium nemo offenderetur.

Prius aliquanto egredi cubiculo consuerat, quam scholæ signo mane vesperique vocaretur, ibatque ad Templum, salutaturus, ut dicetur, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; sed signo audito, erigens se, subito ad portam festinabat, ibique ceterorum expectans conventum, legendo libello suo id temporis occupabat. Ad scholam ibat redibatque perfecte silentium observans. In schola scriptioni attendebat, quin umquam oculos tolleret a scriptis. Numquam de Magistri dictantis velocitate questus est; sed si quod ei verbum transiliendum fuerat, aut a schola (si permitteret tempus) reponebat e proxime assidentis libro, aut domi, petita facultate a P. Ministro, e collegæ cujuspiam codice excerptum restituebat. Si audiret legente Magistro loqui aliquos, aut strepitum excitari, vultus indicio id sibi grave esse ostendebat, ut

auctores admoneret, quietemque conciliaret.

Audito signo ad lectionum disputationumque finem, protinus erigebat sese, obedientiæ nimirum præstandæ obsequio; si vero lectio disputatiove solito longius extraheretur, tum ille contorquere sese, ac veluti prunis candentibus insistens prope diffluere. Lectione finita, pro more, nobilioribus quibusdam adolescentibus eam medio horæ spatio repetebat, eratque res admiratione digna, videre quanta cum submissione colerent, obtemperarentque; temporis constituti spatio elapso, statim omnibus ad scholæ januam relictis abibat, ne perfecte quidem reddito quæstionum responso, ut leges observaret.

Domesticas repetitiones, disputationesque silens attentusque auscultabat; ac si suæ essent aggrediendi vices, insigni id præstabat alacritate, justoque relicto spatio (quo is, cui defendenda erat propositio, et objectionem, et responsum suum ipse pro commoditate explicaret) nihil interpellabat. Tum demum responsum efficaciter oppugnabat, sed sine ulla inflammati animi, vocisve erumpentis concitatione, solita servata tranquillitate. Si contra respondendum illi erat, adeo feliciter aggredientium ratiocinationes iisdem adhibitis verbis repetebat, ut omnibus admirationem moveret, respondebatque consueta methodo accurate servata, non minore

claritate quam ordine, depressis semper per modestiam oculis. Utque manifestum sit res nullas temere a Joanne, sed ex prudenti electione fieri solitas, et prævisas fuisse omnes (etiamsi minimæ essent) ut eas quam perfectissime perageret, placuit hoc loco prodere quod examine studiorum imminente fecit, exile quidemi lud, sed forte non inutile studiosis.

Admonitus examinatum se iri de universa Philosophia ad 19 Martii, die festo Sancti Joseph, anno 1621, præparavit extemplo sese, præparationemque adhibitam ita litteris consignavit : « Protector hujus examinis erit S. Joseph, et Mediatrix Beatissima Virgo. Primo, cum hac intentione semel me flagellabo, et mortificationem vel pœnitentiam aliquam in triclinio obibo, Coronam recitabo, ac benedictionem petam a R. P. Rectore. Si feliciter succedat, dicam tres Coronas in honorem Sancti Joseph etc. Mane scripta percurram illius istiusve materiæ, et si Beatissima Virgo et S. Joseph me adjuverint ut universa percurram, in eorum honorem tales devotiones adhibebo. In ipso examine alacrem me præstabo, et respondebo vivide atque e formula semper : *Nego, concedo, distinguo, explico.* Responsis inseram breves aliquot instantias, verbi gratia : *Nego et do instantiam* (retorqueo). In explicando brevis ero et clarus. Longioribus discursibus non prius respondebo,

quam vel a Magistro vel a me ad breve argumentum fuerint redacti. » Tam minutis se rebus adstringebat parabatque! Sacerdotem quemdam (1) civem suum rogabat, uti mane, facto Sacro prosperum sibi eventum exoraret; cumque examinaretur, ad amussim quæcumque decreverat, observabat; facilitateque ac dexteritate tanta PP. Examinatorum verba omnia repetebat, nihil ut suggerendum haberent, nec ipse verbulum trajiceret aut omitteret, eorum quæ illi intexuerant argumentis; quare non solum summo omnium consensu, sed et maxima laudum commemoratione, lectus est ad tuendas publice ex universa Philosophia Theses.

Quæ provincia cum illi imponeretur, eadem se cura studioque ad eam obeundam comparavit. Unum prætcrea addidit, quo facile liquebit, quam liber ei animus esset ab omni vanitate et humanæ laudis desiderio, et non nisi ad majorem Dei gloriam intentus : nimirum consuluit Præfectum rerum spiritualium, (qui illi quoque a confessionibus erat) foretne e majore Dei gloria, efficere in quantum posset, ne publice Philosophicas quæstiones tueretur, an potius quod sibi munus impositum erat, nulla excusatione susciperet. Atque ille ex una jam dicti Patris sententia pendebat, haud dubie facturus quidquid ille suasisset; sed is modestia juvenis con-

(1) P. Joannem Gouda.

tentus, ne omnino intercederet, ullumve objiceret impedimentum, adhortatus est. Quo auctore, positas de universa Philosophia theses publice propugnavit die 8 Julii anni 1621, non minore ingenii, quam modestiæ eruditionisque laude, quippe qui perfecta semper extiterat imago Scholastici nostræ Societatis.

CAPUT SEXTUM.

Quomodo in officiis rebusque communibus vitæ Scholasticorum Joannes se gesserit. — Quæ ejus reverentia erga Superiores. — Trium rerum singulis hebdomadis Superiori rationem reddit. — Tribus præcipue fruitur solatiis. — Quantæ fuerit obedientiæ. — Sacris frequenter inservit. — Gaudet in plateis et foris catechesim docere. — Quomodo petulantissimum cœtum aliquando pacaverit. — Domesticis servitiis erudiendis præficitur. — Ejus charitas in alieno cubiculo procurando. — Amor cubiculi, et quomodo in eo se gereret, quantamque reverentiam, charitatem, vitæ exemplum contubernali suo exhiberet. — Ejus cubiculi paupertas. — Rebus omnibus se spoliat. — Nec habebat quidquam, nec habere cupiebat. — Paupertas ejus oratorii. — Cura nitorque supellectilis conservandæ. — Mane quomodo surgeret. — Vilissimis officiis delectatur. — Ejus publica in triclinio demissionis exercitia. — Reliquias mensarum pauperibus erogat. — Quanto frueretur solatio in munere curandarum lampadum, quod et S. Aloysius olim in eodem Collegio exercuerat. — Reverentem se exhibet erga omnes ex humilitate.

Alterum quod restat pertractandum, illud erat, quanta perfectione res eas obibat quotidie, quæ a Scholasticis nostris, quo tempore studiis operam dant, communiter sunt agenda; quam-

quam pauca id genus supersunt, post bonam seriem rerum jam supra allatarum.

Observantissimus semper extitit suorum Superiorum, in quibus, utpote Dei Vicariis, divinam auctoritatem reverebatur; quos nusquam, nisi juberetur, operto alloqui capite sustinebat; quorum non solum mandata, sed et sententias coram aliis comprobabat; quibus denique domesticorum omnium animos ita conciliare nitebatur, ut æquali amore reverentiaque eos prosequerentur, iisque pari fiducia, sine fuco verborumque involucris, conscientiam patefacerent : qua de re in hæc verba scripsit : *Apud Superiores meos et Patres spirituales esse conabor candidus totus et sincerus, et veluti aqua purissima.* Neque solum non sensit ullam umquam ab aliquo Superiorum animi aversionem, sed ne cogitationem quidem contra ullum Superiorem, ejusve præcepta aut judicia, sibi umquam in mentem venisse asseverabat, adeo Superiores suos omnes reverebatur.

Trium mihi rerum rationem hebdomadis singulis constantissime reddebat : an silentii leges observasset; an de rebus spiritualibus sermonem instituisset; an propositorum inter orandum factorum tenax fuisset.

Multa sibi solatio esse in hac vita dicebat, præ ceteris tamen hæc tria : primum, castitatis illibatæ florem abs se esse perpetuo conservatum :

alterum, numquam deliberata voluntate commissum abs se ullum peccatum veniale; postremum, potuisse se semper de internis animi sui rebus cum Superiore, tamquam cum ipso Deo, tractare.

Quotiescumque pœnitentias sibi injungi a Superiore ex devotione petebat, semper genibus flexis, quicumque Superior esset id præstabat. Numquam defugiebat rem ullam sibi impositam, sed absque omni excusatione suscipiebat. Jussus ministrare sacro sacerdotis cujusdam, qui bene diu faciebat, et incommoda studiosis hora, pluribus id mensibus egit, nihil umquam questus. Alias ægro in ministrum datus, qui sacris incerta, pro valetudine, hora operabatur, cum ædituus se molestiam illius dolere diceret, at mihi, inquit, numquam molestum est ministrare sacris. Quoties ad Ædem Jesu, seu sollemnis seu privati sacri causa mittebatur, ingrediendo egrediendoque sacrarium, brevem semper orationem genibus fundebat flexis; ac si remanendum diutius foret, in angulum sacrarii silentio se recipiebat, volvebatque aut Rosarii sphærulas, aut libellum suum spiritualem, aut Psalmos tacitus recitabat.

Cum in Professorum Domum quempiam comitatum mittebatur, ex eo sciscitari solebat, multine temporis res esset quam tractandam haberet; illique se tempori aptans, tantisper in

Templo orabat, lapsoque jam prope spatio, ad portam orans legensve opperiebatur, ut socio redituro præsto esset.

Gaudebat se iis comitem jungi qui per fora Dominicis Festisque diebus conciones Romæ cogunt ad tradendam doctrinam Christianam. Alumnos nostros Scholasticos, quibus nondum concessum est aliorum procurare salutem, ajebat diebus illis mitti in forum ad allatrandos peccatores. Contigit forte eum mitti concionatum die Festo aliquo, in loca vicina Mariæ de Montibus. Hic in satellitium quoddam incidit rixa contentionibusque egregie inflammatum; simul alii nonnulli (quibus illic ludendi cupiditas incesserat) cessuros se loco negabant, jubebantque facessere Joannem cum mensa, quam insistere nitebatur, affirmantes sibi constitutum esse ludere, non verba audire.

Joannes nullo commutato verbo, in proximam Virginis ædem ingressus, orationi se dat, moxque reversus, atque ad dicendum animum comparans, monetur a socio, videat ne contumeliam aliquam insignem a petulantissima illo hominum grege accipiat : at ille socio, Ne dubita, inquit, nam ego de Beatissimæ Virginis ope sic spero et fido, ut simul ac me audituri sunt, protinus sint rebus omnibus abstenturi et accursuri. Quamprimum in mensam ad dicendum ascendit, vix cœpta

Salutatione Angelica, satellites intermisso jurgio, lusores abrupto lusu ad audiendum convenere, dimissaque concione, simul eum omnes in Collegium æquali observantia ac quiete comitati sunt.

Data ei erat a Superioribus provincia famulos Collegii in spiritu promovendi, quibus ipse deinceps sedulo invigilavit, eosque rebus omnibus ad salutem necessariis instruxit, curabatque ut sæpius confessione se expiarent (ut facere alioqui tenentur, quandiu famulantur in Collegio) et semel minimum in mense, sub sacrum P. Rectoris, omnes simul ad sacram communionem accederent. Munus ei forte a P. Ministro commissum erat curandi cubiculi, quo utebatur spiritualium rerum Præfectus; hoc Joannes tanto colebat nitore, tanto studio ab omni necessaria supellectili instruebat, ut Pater miraretur, nec alium umquam nactus sit officii diligentia parem; istud vero speciatim prædicabat, numquam ab eo quietem suam fuisse obturbatam, numquam universo officii illius tempore verbum ullum supervacaneum Joanni excidisse.

Fidus cubiculi sui custos, non sine necessitate prodibat, dicere solitus : « Societatis ope-
» rarium cum in cubiculo delitescit, debere in
» lucem protrahi desiderio procurandæ alienæ
» salutis; cum vero ope proximis impendenda

» foris distinetur, debere rursus revocari desi-
» derio cubiculi, ut nec solitudine excedat, nec
» effusiori conversatione. » Reperiunturque crebro in schedulis ejus scriptis hæc repetita verba : *Amabo cellam.* Quoties ejusdem sui cubiculi contubernalis in cubiculum revertebatur, perpetuo erectus in pedes aperto eum capite salutabat. Numquam ipse in cubiculum redibat, aut exibat, nisi expresso Crucis signo lustralique aspersus aqua, et brevi de genibus oratione dicta. Quamdiu intro in cubiculo versabatur, mensæ adstans aut assidens, tanta degebat quiete, ut numquam vel momento gravis fuerit contubernali; cui, quoties quid se velle diceret, latine ex præscripto semper respondebat.

Cum semel ei contubernalis suus dixisset, licere sibi de Rectoris auctoritate cum eo dubitationes suas Philosophicas per diem conferre, ipse deinceps prior eum admonere, perinde ac sua utilitas ageretur. Si vero socii sui valetudo fuisset aliqua ægritudine tentata, Joannes biduo triduove lectum ejus sternere, officiaque omnia deferre. Tam illustria virtutum documenta edebat suis illis ejusdem secum cubiculi habitatoribus, ut cum forte aliquando (uti fit) contubernii Superior statuisset adolescentulum quemdam, qui Joanni adhabitabat, in aliud immigrare cubiculum, tanto ille gemitu dolo-

rem suum est testatus, ut e re esse judicatum sit, non dirimere tam utilem societatem: adeo se præstantibus virtutum incitamentis spoliatum iri per ejus absentiam querebatur, cujus in eodem cubiculo præsentia inflammari se non secus atque Angeli cujusdam conspectu asserebat. In ejus cubiculo enitebat quidam splendor paupertatis; nec librum, nec rem ullam non necessariam apud se habebat; quin palimpsesti cujusdam gypsatas nigroque colore obductas tabellas, in quibus cærulei lapidis stylo scribitur, tamquam superfluas, domus Ministro restituebat,

E Belgio Romam profectus, cingulum, visum sibi aliquanto quam aliorum præstantius, vestium curatori servandum dedit, sumpto alio viliore. Imaginibus quoque selectissimis, quas bono numero (ut discedenti datæ erant) e Belgio attulerat, se abdicavit, iis solum retentis quibus illi sua nomina inscripserant, qui preces ejus flagitabant; atque his quoque, cum rogaretur, haud gravate se nudavit : quin omnes deinde vel e Belgio, vel a civibus suis dono acceptas, Rectori offerebat, ejusque ad ostium, si abesset, relinquebat; quem ejus morem vel hoc signo habebat exploratum. Quod autem aliquando unam incunculam chartaceam fratri alicui prius dedisset, quam a Superiore (qui non reperiebatur) facultatem impetrasset;

etiamsi quidem et petendæ postea facultatis proposito, et opinione facillimi consensus eam donavisset, reliquo tamen universæ vitæ tempore factum deploravit, identidem se culpæ illius apud Rectorem accusans, quam ne oblivio deleret, memoriæ ita commendavit : *Semel unam imaginem dedi alteri, non prius petita facultate.* Etiamsi, ut dictum, petendæ facultatis haberet voluntatem, et crederet donationem a Superiore approbatum iri.

Die quodam rara cum animi lætitia dixit, se per Dei gratiam, nihil jam habere, ne imaginem chartaceam quidem; et si quid reliquum habuisset, protinus allaturum fuisse ad P. Rectorem. Verum non modo nihil habebat, sed ne habere quidem cupiebat, et omni affectu ad res creatas sese exuerat. Sæpius ab eo scriptum reperio nulli rei animum habuisse affixum, sed omnibus expeditum : *Nulli rei sum affectus, nihil habeo cui afficiar.*

Amore quodam singulari religiosæ paupertatis, quamprimum mane luce hiberni solis ad studendum poterat uti, lucernæ suæ lumen extinguebat. Re qualibet, quæ ad usum tradebatur, facillime erat contentus, nec umquam querimonia ulla, aliove signo, minus sibi satisfactum esse ostendit, sed in petendis necessariis erga officiales domus humiliter ac reverenter se gerebat. A Patre quodam ad Cardinalem Bel-

larminum adductus, cum rogaretur deinde domi, nihilne ei Cardinalis dedisset, nihil dedisse respondit, neque etiam si obtulisset, fuisse accepturum, quo responso ad Cardinalem relato, laudatus ab eo fuit, dicente : Sic faciebat et Beatus Aloysius, qui vere pauper esse volebat, nec quidquam possidere.

Toto contubernii separati tempore, non alia Crucis imago in ejus oratorio fuit, quam e vili rudique ligno, atramento picta, altitudine palmæ, coram qua orare consueverat. Ad ægri morientisque lectum parieti affixa erat chartacea imago Virginis infantulum Jesum brachio complexæ, nec absimilis altera ante mensam, ad quam studio vacabat. Rosario utebatur ebenino, sed obsoleto nec integro, præstantioribus, quæ subinde offerebantur, repudiatis; negans altero se egere, quamdiu vetus illud suum haberet. Optabat res vetustas sibi utendas dari tanquam pauperi, et pro suo in paupertatem affectu, nonnisi angustas in codicibus relinquebat chartæ oras presseque scribebat.

Magna servabat cura res usibus suis datas, dicebatque, nos similes debere esse statuis, quibus sus deque est, novo an vetere induantur vestimento. Supellectilem omnem mundam custodiebat, non inanis alicujus munditiæ studio, sed obsequio legis, jubentis rationem nitoris ab unoquoque habendam. Cubiculo non

prius exibat, quam mensam decenter composuisset.

Vesperi cum ad somnum in lecto se componeret, eo se locabat situ, quo supra de Tirocinii ejus moribus dictum est; in eoque noctem totam immotus usque ad horam surgendi perseverabat. Rogatus qua ratione dormiret, respondebat : Cum ad horam primam diei surgendum mihi est, expergiscor hora prima; cum in secundam dormiendi mihi facta copia est, sommo non excitor ante secundam. A P. Ministro jussus erat præsto esse P. Rectori Sacrum semper illico a prima meditatione facienti. At Rector, de tenui ejus valetudine monitus, eo munere liberatum, dormire in alteram jussit horam. Joannes nullo verbo reposito obedivit; contubernalemque suum obtestatus est, mane nulla sui ut habita recordatione surgeret, strepitumque cieret, aut quiesceret, perinde atque si ipse abfuisset; eam se gratiam a Deo obtinuisse, ut nocte tota altissime dormiat, a prima sommi hora usque ad extremam, nec prius expergefieri, quam qua hora vigilandum sibi foret, quamtumvis magno strepitu concitato.

Mane igitur perpetuo audiebat surgendi e lecto signum, ratusque vocari se a Deo, respondebat : *Domine, quid me vis facere ?* tum vestiebat sese, et excitatore, dum lumen fe-

rebat, consueta formula *Deo gratias* apprecante, resalutabat cum affectu : *Semper Deo gratias.*

Vilissima domus officia singulari voluptate administrabat. Frascatam missus ad subserviendum cærimoniis hebdomadæ sanctæ, mox ultro scalis expurgandis operam dedit, ceterorum post se adventantium calceos, luto sordibusque aspersos, clanculum extersit; rogatusque a quopiam (quem fallere non potuerat) cur id fecisset, modesto risu responsum declinavit. Extra dies geminos quibus hebdomadatim in triclinio mensis inserviebat, cum binos alios a P. Ministro concedi sibi flagitasset, obtinuit, et præterea diebus jejunii semper ad auferendam vesperi mensam adventabat.

Diligentissime partitis sibi mensis inserviebat, et licet modestiam præ se ferret singularem, sagacissime tamen providebat ne quid deficeret accumbentes. Libenter illis etiam Patribus et Fratribus ministrabat, qui publicis defuncti muneribus serius in triclinium veniebant. Sub initium finemque serviendi, ad orandum in genua se submittebat, et postremus fere ministrorum triclinio excedere consueverat.

Sabbati diebus omnibus mane ac vesperi in culina eluendis lancibus operam navabat, deprehensusque a Rectore inservire mensæ frequentius, cum ei vetaretur ne sæpius quam ceteri inserviret, nullo verbo repositо, summa

animi tranquillitate acquievit. Referri hoc loco meretur res et a nostris domi, et ab externis sæpius observata; nimirum Joannem, finito anterioris mensæ ministerio, solitum in templum venire ad venerandam sanctissimam Eucharistiam, intervallo illo quod inter priorem alteramque interest mensam, ac tum si signum alterius mensæ daretur, cum aut curvare genua cœpisset, aut vix orationem inchoasset, intermissa statim genuflexione aut oratione, ad triclinium redibat, adeo prompte exacteque obediebat. Nemo Scholasticorum illo frequentior publicas in triclinio pœnitentias subibat : singulis hebdomadis, sive pannosa aliqua toga, sive quotidiana sua indutus, genus aliquod humilioris exercitii publice edebat, aliosque ad idem præstandum exemplo excitabat; atque ut leves hasce mortificationes duceret, non ideo tamen negligebat, ac affirmavit mihi aliquando, singularem sibi toties dulcedinem a Deo communicari, quoties Patrum Fratrumque accumbentium pedes exoscularetur, quos ambabus ille manibus non sine affectu amplectebatur. Qua ego re comperta, cum ad me ultro pœnam aliquam subeundam publice exoraturus veniret, dicere illi consueveram : Subi illam tibi charam.

Non solum (quando ei per hebdomadam id munus obtigerat) mensarum analecta sportulis

servata ad portam lætus pauperibus erogabat, sed quoties is, cujus ea cura, aut æger aut occupatus aberat, vel indicasse id Joanni sufficiebat ut promptissime advolaret; eratque vulgo perfugium omnium, ad id genus officia libentissime suscipienda, si quis impeditior vicem ei suam demandasset.

Impositum ei erat munus curandarum lampadum, quæ per domus ambulationes et porticus lucent, quod olim quoque in Romano Collegio B. Aloysio fuerat commendatum. Dici autem vix potest, quanta hoc negotium procuraret diligentia, vel sola recordatione B. Aloysii. Nullo non die lucernas inspiciebat ac instruebat, diebus feriatis solitus aut prius eas mundare quam ad vineam egredi, aut citius domum ad concinnandas reverti. Ac veritus ne hoc quisquam munus (mundo quidem despectum ut exercitium quodlibet humilitatis, sed in conspectu Dei pretiosum et honorificum) invideret sibi, P. Rectorem summisse exoravit, ut illud sibi diutius confirmaret, etiamsi per hiemem incommodissime ab eo administraretur, cujus nempe jam manus digitique, nimio frigoris appulsu tumefacti atque ambusti, miserationem intuentibus commovebant. Cum vero die quadam, ex carnis mollitudine, non aures modo, sed et vultus totius cutem boreales auræ adussissent, sacerdos aliquis ratus id voluntaria

aliqua Joannis asperitate procuratum, Nimium, inquit, mi frater, in temet asper ac durus es. Cui contra Joannes : Ita quidem res non habet, R. Pater, sed si ita esset, me tamen non puderet, cum inter Religiosos actus mortificationis non debeant esse pudori.

Omnibus perpetuo et loci et meliorum rerum commodum et honorem sine affectatione deferebat, studebatque vel sedendo, vel standO, vel ambulando semper honoratiorem locum socio cedere, omnesque sic reverebatur quasi singuli ejus domini fuissent; quod scriptis hisce verbis expressit : *Geram me cum fratribus meis omnibus, ut servum decet et vile mancipium.*

Hinc multis collegarum contubernaliumque subortus frequenter confusionis sensus, cum coli se honore tanto ab eo cernerent, cujus observantiam non ex affectata urbanitate, sed ex vera humilitate profectam intelligebant. Ille vero etsi omnes tanta cum humilitate veneraretur, neminem tamen umquam, præter sacerdotes, ut moris est, aut Patris, aut Reverentiæ titulo appellavit, sed Fratris, aut Magistri, si disciplinas profiterentur. Non consueverat gratulari condiscipulis propter examina, disputationes, orationes feliciter habitas, aliaque similia, quia, ajebat, si cum quibusdam id fit et non cum aliis, poterit ex minori benevolentia videri omissum, si vero cum omnibus, dif-

ficile cavebitur periculum adulationis. Prior semper aperiendo capite alios salutabat, quod procul omni simulatæ urbanitatis suspicione faciebat, cum simplicitate et ex vera humilitate, quæ semper in eo extitit profundissima.

CAPUT SEPTIMUM.

De devotione ac pietate V. Joannis ejusque studio spiritualium rerum. — Ejus exercitationes nonnullæ declarantur. — Mortificatio externa. — Lectio spiritualis. — Oratio et unio cum Deo. — Meditatio et ad eamdem præparatio. — Lumina et cælestes consolationes quas meditando percipiebat. — Ariditas ac desolatio quam nonnumquam patiebatur. — Perpetua pax animi. — Vota quotidie renovat. — Ejus devotio et amor erga SS. Eucharistiæ Sacramentum. — Quanta diligentia ad S. Communionem sese præpararet.

Illud denique dicendum superest, quam deditus pietati fuerit Joannes, quamque avidus orationis. Ac quidem res omnis absolvi hoc verbo possit, si rite et in tempore facta a Joanne fuisse omnia dixero quæ communiter in Societate fiunt; sed distinctius aliquanto ad nonnulla descendendum est.

Joannes igitur quæcumque ad profectum in spiritu salutaria existimabat, sive visa abs se essent, seu audita, seu lecta, in maximis ducebat bonis, ratus naturæ scientiarumque ornamenta in homine spiritu carente, instar nudi gladii esse in manu hominis furiosi; neque paulo putabat utiliorem Religiosæ familiæ vi-

rum spiritu ferventem, etsi minus a litteris ingenioque instructum.

Ter quothebdomadis in tergum suum verberibus animadvertebat, aut plurimum quater. Solemnioribus præterea Festis cilicio corpus exasperabat, sed rarius, cum id ei ob invaletudinem esset interdictum

Extra statam Societati feriæ sextæ abstinentiam (1), alterum perpetuo jejunium honori Beatæ Virginis Sabbati diebus omnibus adhibebat; quo constat, nihil supra pœnarum asperitatumque modum ab eo fuisse susceptum.

In obvia quaque re, corporis sui vexandi afflictandique ansas conquirebat, sedens flectensve nullo umquam fulcro nitebatur.

Dimidiam quotidie horam piorum librorum lectioni tribuebat, et ne momentum quidem vespertini temporis, quod lectioni spirituali destinatur, intermittebat. Quod deficerent cum latera ad triclinii magnitudinem vocis suæ tenuitate explendam, ne legendi tamen onere eximeretur, ut in nosocomio domestico super mensam convalescentium de altiore loco legere posset impetravit; sic nempe se aliquid lucrari lectionis spiritualis dictitabat.

(1) Si meminerimus Ven. Dei Servum refectione matutina abstinere consuevisse (supra p. 46), apparebit feriam sextam ex modica cœna ei in diem jejunii evasisse. Videsis Nigronium in Regul. Commun. 5, num. 5.

Statim a fine Litaniarum, quæ in cœtu publico ab omnibus recitantur, in cubiculum se recipiebat, etiamsi secundæ mensæ accubuisset vel ministrasset, ut tanto plus spatii ad vacandum lectioni spirituali obtineret.

Hebdomadariæ relaxationis die, aureum illum Thomæ Kempensis de Christi Imitatione libellum in vinea per horam volvebat; temporisque tantumdem quotidie eidem tribuebat majorum vacationum feriis, cum Scholastici nostri a lectionibus Frascatam animi laxandi causa mittuntur. Quotiescumque cælesti se pabulo refecerat, universum quod meridiem antecedit spatium, legendis SS. Patrum scriptis (1) impendebat; nec cum studiorum dispendio id fieri, sed compensari divinitus dicebat. Tempus quod studiis negotiisque supererat, aut lectioni librorum spiritualium, aut orando adhibebat.

Paratissimus erat, quoties rogabatur, pro quocumque orare; aliorumque se precibus invicem solebat commendare. Tria vero præcipue impetrari sibi deposcebat, insignem sanctitatem, excellentem eruditionem, firmas corporis vires. Primum quidem absolute; alterum ac tertium, si e majore Dei gloria foret.

Super omnia in eo eminebat sanctissimum orationis exercitium et jugis unio cum Deo, per voluntatem et affectum amoris. Dei præ-

(1) Intellige de scriptis asceticis, ut ex sequentibus patet.

sentia perpetuo fruebatur, re nulla prius facta, quam cum divina Majestate eam pertractasset. Hinc tanta operum ab eo susceptorum perfectio ac splendor, quo oculos in se omnium convertebat. Nec exquirebat ipse modum orandi extraordinarium, sed omni affectu præscriptam a S. Ignatio rationem imbibere conabatur, accuratissimus scilicet monitorum omnium, legum præceptorumque observator, quæ tantus orandi magister suo Exercitiorum libello docet, nec latum ab his unguem digressus; multumque probabat illam meditandi rationem Romæ excusam, qua Romani nostri Tirones utuntur, quæ sibi utique valde accommoda proximaque Ignatianis exercitiis videbatur. Et hac ille via ad insigne donum orationis et contemplationis pervenit; atque ab omni distractione aut mentis evagatione, quemadmodum ipse testabatur, fuit immunis, nec illo tempore morsus ullos muscarum, aliorumve insectorum, quæ æstate molestissima sunt, ullatenus sentiebat. Numquam se prius lecto dabat, nisi perlecto prius dispositoque crastinæ meditationis argumento, quæ deinde prima erat mane evigilantis cogitatio. Ut vero intelligat quilibet, quam exquisita diligentia se ad matutinæ orationis horam compararit (uti quotidie ab omnibus Societatis hominibus instituitur) operæ pretium visum fuit ea omnia, quæ eo referebat, ad calcem hujus

Vitæ subjungere, atque ipsis ejus verbis exprimere, quo res gratior accidat lectori, lectu sane non indigna.

Dum in contubernio separato viveret, quam primum lecto eripuerat sese, ligneæ crucis icunculæ, de qua supra dictum, advolutus, ardentibus identidem suspiriis eam exosculabatur; interque vestiendum, piissimis etiam cor suum inflammabat affectibus : ac bis forte accidit, ut Joannes falsus quiete sui contubernalis (quem exisse cubiculo crediderat) elatiori inciperet voce et ferventi pietatis affectu breves aliquas Scripturæ sententias, aliasque orationes recitare; cujus mox animadversa præsentia, virgineus scilicet pudor deprehensum perfudit, coegitque moderari voci. Alias, quam primum lecto exierat, statim genua flectebat, et per dimidium horæ quadrantem, in tanto versabatur spiritus raptu, ac si noctem totam orando traduxisset; et mox solum osculabatur, mox editis suspiriis, aliisque actibus mentem accendebat. Subinde etiam, surgens e lecto, psalmorum versiculos similesque preces suaviter modulabatur, ita tamen ut nullam contubernali molestiam adferret.

Statam meditationi horam flexis perpetuo peragebat genibus, re nulla nixus. Prius quam orandi daretur signum, jam adstabat loco, quo se erat in genua curvaturus, reliquoque medi-

tationis tempore adeo quiescebat, ut ne minimo motu præsentia ejus percipi posset, donec paulatim gliscente affectuum calore, locum erumpenti flammæ, quæ in corde ardebat, dare cogeretur; ejusque suspiria plerumque suavissima, subinde adeo erant vehementia, ut contubernalem, ad alterius usque meditationis horam forte dormientem somno excitarent. Sæpe clanculum a sodalibus sub id tempus observatus, eo erat ardore vultus, ut non absimilis Seraphino videretur. Solebat imminente meditationis fine arcte admodum sæpiusque osculari imaginem illam Mariæ infantulum gerentis parieti affixam, deciesque aut duodecies oscula repetebat continenter, magna oris arridentis hilaritate. Hanc-que iconem, Joanne mortuo, cum condiscipulus quidam (1), sacri instar spolii, vindicasset, etiamnum (2) religiose adornatam, pro sacris Reliquiis apud se magno pietatis sensu veneratur.

Audito finitæ meditationis signo, statim in pedes se erigebat, breviterque expenso orationis peractæ cursu, accedens ad mensulam, notabat strictim ejus successum et concepta proposita adjectis motivis hæc exequendi : quæ

(1) Joannes Paulus Oliva, tum Scholasticus, anno 1661 electus Præpositus Generalis Societatis, quam rexit per annos viginti.

(2) Hanc Vitam typis dabat P. Cepari anno 1627, sexto ab obitu Ven. Servi Dei. Vide Supra p. 4.

constans diligentia tantum nobis piarum scriptionum thesaurum morti ejus superstitem conservavit.

Jam vero illustria multa lumina, sublimesque mysteriorum sensus, abditasque cælestium rerum cognitiones orando obtinebat; ac tanta fruebatur divinarum consolationum dulcedine, ut plane quivis intelligeret, divini eum sinus foveri deliciis, et cælestibus Angelorum Reginæ uberibus recreari. Enimvero subinde eo habitu apparebat, ut Deo plenus esse videretur. Et quidem octonis ante mortem mensibus, quodam Sabbatino die (is erat 18 Decembris anni 1620) tam ingens fuit perfundentis se divinæ ubertas dulcedinis, consolationumque cælestium vis, ut et postridie mihi referret, et litteris rem consignarit in hunc modum : *Die Sabbati, 18 Decembris, misit mihi Dominus flurium pacis;* ut mirandum non sit, tot Patres Fratresque, qui eum norant, in odorem cælestium aromatum (quibus ille inter orandum perfundebatur) cucurrisse, et libenter colloquiis interfuisse, quibus manifestabat abundantiam dulcedinis cælestis, qua cor ejus inundabatur.

Sed ille, tot a Deo et Virgine Beatissima cumulatus deliciis, subinde non exigua spiritus siccitate aridus, desolatus, omni cælesti consolatione ac lumine destituebatur. Non ea re tamen

aut demittebat animum, aut orandi, suive ad virtutem exercendi constantiam remittebat, sed perseverabat infractus, mentemque sacris concitabat eloquiis, tenero amoris affectu Deum interpellans : *Redde mihi lætitiam salutaris tui. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Et certe recordor advertisse me sæpius, optimum Adolescentem assuefactum continuo divinorum uberum pastu lacteque, etiamsi diuturniori hujusmodi ariditate desertioneque vehementer afficeretur (ut sui commiseratione me commoveret, quoties suum illum statum tanto cum sensu mihi explicabat) in maximis tamen hisce siccitatibus summa semper potitum fuisse animi pace ac tranquillitate, et omnimoda ac perfecta consensione cum voluntate divina. Sic enim dicebat : *In desolationibus magnam sensi quietem animi.* Dei providentia atque amore ego arbitratus sum evenisse, ut intervallis se Deus illi subduceret, ne funditus ejus constitutio assiduitate corrumperetur. Si ad exeundum ambulandumve invitaretur nondum perfecta meditatione, excusabat sese, dicens per plateas non æque ac domi fluere sibi ex sententia orationem.

Tempus illud in deliciis habebat, quod bis quotannis, triduanæ animorum collectioni ante semestrem votorum instaurationem indulgetur, quodque solemniorum vacationum autumnalibus feriis, ad facienda spiritualia exercitia ab

omnibus applicatur : dicereque consueverat, per illos se dies locupletare loculos suos, ad emendum panem refectionis spiritualis, in venturas forte necessitates.

Bis quotidie, semel mane, iterum vesperi (quoties item ad sacram Synaxim ibat) mos illi renovare Religionis vota, verbis formulæ solitæ repetitis.

Singulari amore, reverentia et pietate augustissimum Eucharistiæ mysterium prosequebatur, ad quam quinquies, sexies, septiesve visebat per diem : mane vespereque eundo et redeundo e schola ; egrediendo regrediendoque domum ; tempore prioris mensæ, quoties ecundæ accumbebat ; denique post binas quasque horas, quas studiis impenderat continenter, atque alias non raro.

Incredibili se diligentia ad sacram Communionem præparabat. Rogatus a sodali suo cur nollet ullo vacationis die (etiamsi satis solemni aut religioso) synaxim instituere : Quia, inquit, cum ambulandum mihi, aut in vineam eundum est, non ea possum animi quiete ac pietate frui, qua par est tantæ Majestati. Quare ne rogatus quidem prodibat, cum iis sibi sacris defungendum erat. Dicebat, quoties Angelico illo cibo reficeretur, experiri se quasi sensibili modo, instaurari sibi spiritum ac vigore accrescere, et nisi per hebdomadam aliquis dies Commu-

nionis occurisset se ultimis diebus affici quadam fame, quam solo hoc epulo explere posset. Magno sane Communionis tenebatur desiderio; ac quoniam Scholasticis nostris ea vesci mos non est, nisi Dominicis Festisque diebus; ipse, quoties præterea dies incidisset aliqua religione insignis, si domi nimirum manere posset, sumendæ copiam impetrabat. Frascatæ autem feriis majorum vacationum, semel per hebdomadam solito amplius ad Altaris mysteria accedebat, nec eo mane exibat. Si forte Festi alicujus anniversarius dies in Dominicum incidisset, tum dolentis in morem dicebat : Hac hebdomada convivii unius tanti jacturam facimus.

Quot vero excitatis piis ac sanctis cogitationibus, quot fidei, charitatis, aliarumque virtutum repetitis actibus ad cælestem hanc mensam accederet, ex scripto quodam ad extremum hunc librum adjuncto constabit, in quo omnem suam præparationem et consuetos virtutum actus exponit.

Quando Festis vacuisque diebus jubebatur exercitandi corporis gratia ambulare, unam semper aut plures Ecclesias destinato visitabat, inque his ante omnia augustissimam Eucharistiam tanto adorabat affectu animique ardore, ut surgentem subinde abeuntemque socium ne adverteret quidem, donec is ab ædis limine

redux eum sui admoneret, ita sæpe a sensibus abductum et mente in Deo fixum, ut neque videret, neque audiret omnino; donec clatiori voce proprio appellatus nomine excitaretur et ad sensus rediret.

CAPUT OCTAVUM.

Devotio V. Servi Dei erga Beatissimam Virginem Mariam. — Sacella ac templa ei dicata frequenter visitat. — Quanto pietatis sensu Coronam quotidie recitaret. — Encomia virtutum B. Virginis e variis auctoribus colligit. — Tempus vacationum huic suæ devotioni universum consecrasse videbatur. — Voto se obstringit, si quos libros aliquando ederet, primum fore de Immaculata Conceptione, itemque, eam perpetuo se defensurum, nisi aliter Ecclesia decerneret. — Quanta fiducia B. Virginem multa exoraret. — Quos alios Sanctos præcipue coleret. — Speciatim S. Aloysio est devotus. — Ejus perfectio consummata. — Moriendi desiderium. — Mortis instantis indicium capit, ex sententia quam in menstrua distributione Sanctorum tutelarium sortitur. — Quinto post die morbus apparet.

Singulari omnino et vere filiali amore ac insigni devotione B. Virginem Dei Matrem colebat, ita quidem ut ad cultum ejus propagandum in hanc lucem editus videretur. Ac de se apud alios, quod se maxime devotum erga eam profiteretur constare gaudebat, quo nempe liberius cum omnibus, quacumque data occasione, de ejus laudibus loqui posset. Ultima ante mortem vespera, cuidam suo socio id forte interroganti, respondit, præcipuum ac potentissimum

præsidium quo ad religiosæ vitæ perfectionem erat adnisus, fuisse amorem ac devotionem erga Virginem Sanctissimam. Hanc ingenti fiducia solebat suam Matrem appellare, et hæc verba in scriptis suis consignaverat : *Patrona sanctitatis, sanitatis et studiorum tu es, mea Mater Virgo Maria.*

Relaxationis tempore, studebat de ea inducere sermonem, exemplis ejus cultus, vel protectionis ac miraculorum subinde in colloquium allatis. Dum recentiorum contubernio viveret, sæpius visitabat contubernii Sacellum, quod B. Virgini est dedicatum, nec umquam ad recreationem accedebat, quin eam prius in Sacello suo salutasset, ipsamque recreationem ei obtulisset. Quod cum semel, a mensa redux, omisisset, plurium forte colloquentium circulo inter ascendendum circumventus (ejus enim consortium nulli non placebat), quamprimum intermissæ salutationis in mentem venit, e circulo in Sacellum salutabundus abiit, statimque officio functus, eo unde discesserat revertit; ita ut non immerito dici queat cum ea Deiparæ effigie fecisse, quod S. Bernardinus Senensis in adolescentia fertur erga similem iconem præstitisse, quæ Senis etiamnum in quadam oppidi porta religiose servatur. Dicebat nimirum: « Si » amavero Mariam, securus sum salutis et perse- » verantiæ in Religione, impetrabo a Domino

» quidquid voluero, et quasi omnipotens ero. » Nec aliud quidquam in scriptis Joannis reperitur frequentius, quam proposita colendi et amandi Beatissimam Virginem, eique serviendi. Addebat necessarium cuilibet esse certum aliquem refugii locum, quo velut in asylum se reciperet, dum subita aut gravis occurreret necessitas, nullum autem tutiorem esse Plagis sanctissimis Christi, et gremio pallioque Reginæ cælorum. Rogatus igitur quibus remediis in desolatione uteretur, respondit : *Orare, occupare me, patientia, sinus et gremium Beatæ Virginis.* Quotidie Coronam seu tertiam Rosarii partem insigni devotione recitabat, nunc genibus flexis, nunc stans, alias sedens, nonnumquam per Musæum superius obambulans, animo sic in res quas meditabatur defixo, ut a latere prætereuntes, a quibus salutabatur, non adverteret.

Diversa Virginis encomia e variis collegerat scriptoribus, digesseratque meditationes duodecim in totidem ejus virtutes ; ac Coronam aliquam recitabat trium orationum Dominicarum in honorem Sanctissimæ Trinitatis, et angelicarum salutationum duodecim in honorem B. Virginis jam dictis virtutibus ornatæ, illamque appellabat *Coronam stellarum duodecim* capiti Virginis imponendam. Scripserat prætereа nonnullas meditationes et pios actus, quibus in

recitanda salutatione angelica, animus opportune distineri possit : quæ omnia, cum aliis plurimis, extremo huic operi attexentur.

Novies quotidie dicere consueverat : *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium,* singulis vicibus genu flectens ad terram, in memoriam scilicet novem mensium, quibus B. Virgo Christum utero gestavit.

Quando diebus Festis domo egrediebatur, septem, si poterat, ex dicatis Virgini templis visitabat, ac devotionis erga eam per diem innumeros exercebat actus, illudque sæpius renovabat propositum : ego volo amare Mariam(1). Tempus quo maxime in Deiparæ Matris cultu triumphabat, erat longius illud vacationum majorum, cum Frascatam in vineam itur, quod ipse universum devotioni suæ in Virginem explendæ consecrasse videbatur. Pedes egressus urbe, jam inde ab ipso portæ transitu cum sodalibus Itinerarii preces recitabat, tum officium B. Virginis, quod ceteroqui nullo die prætermittebat; ac dein per totum illud iter aliud nihil faciebat, quam de ea vel apud se cogitare, vel cum aliis loqui, exemplis opportune de eadem insertis, et recitatis interdum ejus Litaniis, quibus rebus unice delectabatur. Frascatæ vero, quoties aliorum in cœtu ambulatum prodibat, vel Coronam recitabat aliasque

(1) Io voglio amare Maria.

preces, vel si adesset sacerdos spiritualis et doctus (quales semper interesse aliquos ajebat decere, ut exemplo essent juvenibus), psalmum aliquem ex officio B. Virginis interpretandum illi proponebat; quo quæstionum genere, rerumque similium argumento, occasionem dabat scilicet protrahendi de Maria sermonis.

Illis etiam diebus sæpissime visebat ad D. Virginis quam vocant de Grotta Ferrata, locum antiqua religione inclytum, sive ipsius Virginis causa, sive Templi prodigiosissime a Sancto Nilo eo loci ædificati, sive in gratiam sacrorum lipsanorum Nili monachi fundatoris, ejusque socii Bartholomæi, quæ in æde Farnesiana condita, non minore cultu quam frequentia spectantur. Si forte relaxationis tempore in aliquem Virginis amantiorem incidisset, mire hoc lusus certamine delectabatur, uter pluribus decentioribusque titulis Deiparam compellasset, ipse an alter. Ipse sane pulcherrimos congerebat, ceterisque præ inopia silentibus, facunda celeritate novos copiosissime multiplicabat, ut hora prius quam copia cum defectura videretur.

Assueverat primum instar militis Mariæ castris addicti somnum capere Rosario circum brachium convoluto, sed extrema vita suspensum illud gerebat e collo. Tanto de Beatis-

simæ Virginis puritate loquebatur affectu, ut audientibus pietatis ac devotionis sensus inspiraret. In ejus honorem, ut dictum est, singulis diebus Sabbati jejunabat, in culina inserviebat ac aliam aliquam mortificationem subibat. Sabbato natus, Sabbato in Societatem ingressus, Sabbato terræ mandatus est. Admiranda esse dicebat dona gratiæ beneficiaque per Virginem Societati impetrata; quorum abs se collectum numerum, omnibus nostris exploratum esse optabat.

Obstrinxerat se voti sacramento, si quos aliquando libros esset editurus, primum ingenii sui partum fore de Immaculata Conceptione; dicebatque se libri dispositionem jam animo concepisse, quam tenere decreverat; adeoque huc omnia conferebat quæcumque hujus argumenti apud Sanctos Patres sriptoresque alios legendo comperisset. Extremo vitæ anno concepta signataque etiam formula, Beatissimæ Virgini coram augustissima Eucharistia hoc voto se obligavit :

« Ego Joannes Berchmans, filius indignissi-
» mus Societatis Jesu, promitto Tibi et Filio
» tuo, quem hic in augustissimo Eucharistiæ
» Sacramento præsentem esse attestor, me fore
» perpetuum assertorem ac defensorem Imma-
» culatæ Conceptionis tuæ, nisi aliter fuerit ab
» Ecclesia definitum.

» Joannes Berchmans. »

Cum votum illud Eminentissimo Cardinali Bellarmino post Joannis mortem fuisset indicatum, protinus exclamavit : « O rem egregiam, mireque adinventam, sic fidem Beatissimæ Virgini obstrinxisse! Equidem credo id ei ab ipsa Domina nostra inspiratum, quæ filium illum suum voluerit a partibus suis stare. » De Immaculata Conceptione mirabiliter sentiebat et frequenter loquebatur. Mensæ accubiturus, priusquam mantile explicaret, salutationem angelicam in honorem Immaculatæ Conceptionis recitabat.

Permulta denique id genus adferri possent de ejus in Deiparam amore, devotione et fiducia singulari, verum illud solum adjecisse sufficiat : Consueverat, quoties aut sibi aut aliis exorare aliquid apud Virginem statuisset, conceptis id verbis in schedio excipere, ad hunc fere modum : Si Beatissima Virgo hoc mihi impetraverit, tum ego tres coronas in ejus honorem recitabo, aut has preces dicam, aut hanc illamve mortificationem offeram. Has vero syngraphas iconi Deiparæ, coram qua orare consueverat, affigebat, et frequenter ejus intercessione, quod petierat, obtinebat. Scriptum ab eo reperi : *Numquam quiescam, donec obtinuero amorem tenerum erga dulcissimam meam matrem Mariam.*

Ex amore in Deiparam singularis etiam de-

votio ergo ejus matrem S. Annam profluxit; sed præcipue Sanctum Joseph ejus Sponsum et tum illius, tum Filii fidissimum Custodem summa veneratione colebat. Hujus beneficia et miracula in gratiam clientum patrata variis e libris collegerat, et affirmabat se numquam, ex quo in advocatum eum elegerat, gratiam ullam petiisse, quin obtinuisset (1). Plures Cælitum alios adsciverat sibi in advocationem, in primis

(1) « Da vari libri haveva fatto una raccolta delle gratie e » miracoli che detto Santo ha operato a beneficio de suoi di- » voti; ed egli stesso affermava di non havergli mai chiesta gratia » veruna, dopo che l'haveva preso per avvocato, che non l'ha- » vesse ottenuta. » Ita Ceparius in editione Romana anni 1627 p. 114. Devotionem erga S. Joseph a multis jam annis sibi familiarem habebat Ven. Joannes; de eo enim Mechliniæ in tirocinio versante sic scribit Rector ejus Guilielmus Bauters : « Ad colen- » dum S. Joseph sermone suo frequenter et multos de fratribus » excitavit, recitandamque sæpe collectam de ipso legi solitam.» (Summarium super Introduct. causæ Ven. Joannis Berchmans. Romæ 1745 p. 86.) Eumdem cultum in Belgio tum temporis mirum in modum promovebat laudatissimæ memoriæ Princeps Clara Eugenia Elizabeth, sub cujus patrocinio, ab initio ejus commorationis inter Belgas, editus fuerat liber de vita et laudibus S. Joseph, hispanice scriptus : *Libro de la vida y excellencias de el glorioso S. Joseph... por el P. F. Andres de Soto de la orden de S. Francisco, confessor de la Serenissima Infanta D. Isabel Clara Eugenia, dirigido a su A. Serenissima. En Bruxellas. Ano* 1600. Auctor libri inter motiva cur eum dictæ Principi dicaverit, præcipuam quoque ejus devotionem erga S. Joseph commemorat : « Lo segundo, por me aver » dicho V. A. Serenissima quan devota es y quan de corazon » de este divino varon. » Cfr. Acta Sanctorum ad 19 Martii pag. 9 num. 21.

Angelum Custodem, S. Joannem Evangelistam, S. Ignatium et S. Franciscum Xaverium, qui tum inter Beatos quidem, sed nondum inter Sanctos erant adscripti (1), denique Beatos Aloysium et Stanislaum.

Horum singulis singulos per hebdomadam dies consecrabat, quibus certa honori cujusque obsequia dedicabat, eorum commendatione repræsentans apud Deum actiones omnes suas, ut ex scriptis illius intelligetur.

Hos inter Patronos, teneriore quodam sensu atque amore colebat Beatum Aloysium Gonzagam, suum utpote Religionis vinculo fratrem, in quo fiduciam liberius collocabat. Numquam in Ædem sacram veniebat adoraturus SS. Eucharistiam, quin deinde B. Aloysii sacellum (in quo sacra ejus Lipsana condita sunt) venerabundus adiret. Compendio contraxerat Vitam ejus universam, adjunctis virtutibus prodigiisque a sacris Congregationibus Rotæ et Rituum approbatis; ejusque honori multas afflictiunculas et devotionis actus dedicabat. Reperio in schedis, 25 Maji anni 1621 oblatas ab eo centum exercitationes humilitatis Deo, in B. Aloysii honorem; quodque illustrioris est generis, studio contendebat se ejus reddere quam simillimum, vitæ virtutumque expressione. Et certe ea fuit

(2) Utriusque canonizatio celebrata est 12 Martii 1622.

multorum qua sæcularium qua religiosorum assertio, fuisse eum imaginem quamdam B. Aloysii, eoque viso, alterum visum Aloysium existimasse. Quo die sacræ hujus Reliquiæ e Sacello Virginis in novum sacrumque illi Sacellum illatæ sunt, 15 Junii anni 1620, dum in ordines tributi Patres Fratresque supplicantium more per Templum incederent, eaque in pompa Joanni sors obtigisset gestandi candelabri; Pater Jacobus Croce Assistens Italiæ, in aurem P. Theodoro Busco Assistenti Germaniæ hæc verba insusurravit : Ille videtur mihi alter esse Aloysius. Nec immerito ita judicasse videbitur, æstimanti ea quæ huc usque dicta sunt, quæque deinceps referentur.

Ibat felicissimus Adolescens de virtute in virtutem, perfectionisque in dies magna habebat incrementa, Domino providente, qui brevi illum e terris eripere destinarat. Nam cum superiore anno 1620 Joannes potissimum ad humilitatis sanctissimam virtutem, suique cognitionem incubuisset, jam ultimo vitæ suæ anno, qui erat millesimus sexcentesimus vigesimus primus, frontem chartæ cujusdam, quam rebus suis interioribus adnotandis aptaverat, inscripsit his verbis : *Dixi, nunc cœpi;* virtusque cui animum adjecerat, cujus etiam adeptionem examine particulari prosequebatur, fuit Charitas et Lætitia spiritualis; paginæ ejus om-

nes his verbis sunt refertæ : *Charitas, Charitas, et vivere in dies et in horas.* Quæ duo conjungebat, cum adeo cor ejus amor Dei inflammaret, ut viveret in horas ac dies, divino quidem beneplacito penitus acquiescens, sed suavi affectu et desiderio ad boni infiniti possessionem indefesse aspirans.

Forte per id tempus cum gravi aliquo Patre (1) egressus ad visendam Ædem cui nomen a Maria Majore, per viam, dum redirent, ingressi in sermonem de animi tranquillitate, quacum Religiosi plerumque moriuntur, dum Pater plura adferret exempla eorum, quos in Collegio Romano placidissime viderat mori, adderetque tandem illud : *Deum oro, mi frater, ut moriatur anima mea morte justorum ;* Joannes repente converso ad eum vultu, reverenter quidem, sed cum quadam gravitate : *Profecto, Rev. Pater, sed prius dicamus necesse est : Vivat anima mea vita justorum, ut dein dicere valeamus : Moriatur anima mea morte justorum.* Pater hæc sibi responderi audiens a Juvene modesto, quique maximam reverentiam sibi exhibere solebat, interna compunctione motus est, ac veneratione simul erga sapientissimum adolescentem, qui tam sedulo de bona vita cogitabat, ut per eam mortem felicem sibi compararet.

(1) P. Famiano Strada, qui scripsit de Bello Belgico.

Uno ante supremum diem mense inter relaxandum animum colloquens cum Patre quodam, haud obscure illi indicavit quanto afficeretur caducarum rerum tædio, præsentisque vitæ satietate. Affirmabat nempe, si Deo visum fuisset in alteram se vitam evocare, nullo se discedendi mœrore fuisse abiturum. Apertius aliquanto, paucis post diebus, agens cum quodam Collegii Professore (1), qui libenter ejus consuetudine utebatur, captus utilitate sermonum vitæque ejus probatissimæ exemplo, ei insinuabat, quam ardens in se experiretur moriendi desiderium ut Deo perfecte se uniret. Cumque invicem ille interrogaret fidenter, an sic rationes omnes suas haberet comparatas, ut mortem non reformidaret; respondit ei in hunc modum Joannes: Si meæ optioni relinqueretur, eas mihi conditiones ferre quas ipse cuperem, eligerem primum per aliquot dies Exercitia spiritualia peragere, sed etiamsi id non concederetur, tamen morerer libentur.

Vivebat extremis hisce diebus instar hominis a sensibus abstracti, forisque peregrinantis, corpore quidem inter mortales, sed animo in cælum abducto. Atque ut Deus eum jam ad se vocare decreverat, ita affectibus amoris et ardentibus desideriis suaviter præparabat. Quare

(1) P. Hieronymo Savignano.

frequenter hæc Apostoli et Sponsæ verba corde et ore usurpabat : *Cupio dissolvi et amore langueo;* quod tamen flagitare non audebat absolute, quia ignorabat an ex Dei esset voluntate, et majori gloria divinæ Majestatis.

Placuit tandem divinæ Bonitati tam sanctis annuere desideriis, simulque quid illi futurum brevi esset, clarius indicare. Siquidem Julii mensis die 31, qui festus est S. Ignatio, cum in Collegio Romano singulis sortito tribuerentur futuri per sequentem Augustum Sancti tutelares, exiit Joanni hæc Salvatoris apud Marcum adscripta sententia (cap. 13) : *Videte, vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit.* Monitum illico felix Juvenis intellexit, illud certi instar indicii divinitus sibi facti excipiens, Deum Dominum brevi ad se eum vocaturum. Id igitur lætus Professori Philosophiæ (1) aliisque nonnullis aperuit, quos certior mox confirmavit eventus, cum quinque post dies æger, octavo deinde morbi die exstinctus est, ut mox intelligetur.

Indicandum hic quasi per transennam duxi, Joannem tum fuisse natum annos 22, de quibus vix integros quinque egerat in Societate. Ordienti vitæ telam præcisa prius est, quam ad stabilimentum pervenisset ætatis, juveni pro-

(1) P. Francisco Piccolomini.

prior quam viro; vixdum primas religiosæ vitæ lineas adumbrando, aliquam perfectionis effigiem ex communi vita observantiaque efformaverat. Si vero telæ inceptæ specimen egregium adeo admirandumque visum fuit; qualem futuram fuisse merito augurabimur, quam ille exorsam, stamine tramaque sua pertexere atque elaborare potuisset? Si prima adumbratæ figuræ lineamenta adeo arridebant, quam non spirasset vitam coloribus ab eo vivis absoluta imago? Si oculos rapiebat prima festinatæ statuæ formatio, quantum conciliasset stuporis simulacrum per longam artem perpolitum? Tamen tam angustis temporum spatiis hoc ille nobis opus tam perfecte elaboratum reliquit, ut habeat quilibet nostrum quod merito ab eo se discere atque imitari fateatur, Deum vero summis debeat laudibus celebrare.

PARS TERTIA.

DE MORBO ET MORTE V. JOANNIS.

CAPUT PRIMUM.

Morbi initia. — De Philosophia disputat summa cum laude in Collegio Græcorum. — Febri corripitur. — In valetudinarium concedit. — Morbus ingravescit. — Admonet periculi invisentes. — Valetudinarii consuetudines religiose observat. — Superiori roganti an ad mortem paratus sit, quid responderit. — Ejus lætitia audito mortis nuntio. — Colloquia cum Christo. — Dictat schedium Rectori porrigendum. — Communis mœror super instanti ejus morte. — SS. Viatico munitur.

Joannes tam egregie comparatus, plenus Deo et in eum amoris affectu quasi transformatus, suavi cupiens desiderio (Si Deus annueret) expediri corporis vinculis, et exilio hujus mortalitatis absolvi, ad fruendum summo, supra quod ascendi non potest, votorum suorum bono, die 5 Augusti, qui sacer est Virgini cui a Nivibus repertum est nomen, profluvio tentari cœpit, exili tamen adeo, ut neque adhiberet curam, neque permissa vacationibus ambulatione abstineret; quamquam a comite rogatus digredi ad Mariæ Majoris, recusavit, ob ingentes populi mulierumque conventus, quarum ille con-

spectum Religioso maxime defugiendum dicebat.

In vinea conspicatus aliquem Patrem Domus Professæ (1) gnarum admodum rerum a Societatis hominibus gestarum, ei se comitem a prandio adjunxit, multa per sesquihoram ab eo percunctatus de primis Ordinis nostri Patribus, aliisque Annalium rebus; mox dictis in commune Litaniis, reliquum diei pia cum sociis confabulatione consumpsit.

Die insequenti, cum nihil adhuc morbi sui indicasset, a studiorum Moderatore (2) jussus disputandi causa ad Græcorum Collegium ire, in quo propositæ de Philosophia erant quæstiones, posthabita valetudinis cura, obtemperavit. Hic primæ illi (qui postremas semper ambiebat) in disputando datæ sunt, loco Doctoris cujusdam qui aberat contra condictum. Tanta vero concinnitate, tanta ingenii scientiæque probatione argumentabatur, ut plurimum ejus dissertatione delectati, ob conjunctam cum insigni modestia gratiam, totam fere disputanti concesserint horam. Et sive per illam se concitationem accenderit, sive itineris per æstivum diem longitudine se inflammarit, sive ipsa morbi semina incrementum sumpserint, sequenti nocte febris ad priorem invaletudinem accessit; nullamque ei quietis partem reliquit.

(1) P. Octavium Lorenzini.
(2) P. Stephano del Bufalo.

Explorabat se mane num febris remisisset, at sentiens ingravescere amplius viribusque se defici, ratus teneri lege indicii faciendi, cum hora decima nona (seu tertia pomeridiana) proxime Rectoris cubiculum transiret, rogatus ab eo ob pravum vultus colorem, ecqui haberet, morbum aperuit; jussusque a Superiore ad valetudinarium se conferre, ei submisse, ut solebat, habito honore, nec ad cubiculum reversus, quod mandatum erat, illico est executus; eumque ægrorum curator lecto ad quiescendum imposuit. Tribus post horis ad eum visendum ivit Rector febrisque remissione animadversa, exutum deponi lectulo jussit. Sabbato igitur hora circiter 22 et media (sexta vespertina cum dimidia) in lectum concessit. Rogante ægrorum administro ecquid futurum esset, alacriter ille : « Quidquid Deo placitum, in il-» lius manibus sumus. »

Supervenit id temporis Philosophiæ Professor, cui Joannes hilari vultu versiculum illum in memoriam reduxit : *Videte, vigilate et orate; nescitis enim quando tempus sit;* sperans haud longe abesse tempus. Noctem inquietam duxit. Dominica die bene mane, ut valetudinarii est usus, Synaxi sacra reficitur, et cælestem illum panem affectu ac pietate magna sumpsit, volens erepere lecto et in solum se provolvere; sed vetitus est, nec nisi super lecto genua curvare

permissus. A sumpta Eucharistia in adventum medici conquievit. Medicus sublevatum censuit. Ille totam diem solita tranquillitate, et semper de Deo rebusque spiritualibus cum accedentibus loquens consumpsit.

Quoniam vero per eos dies, cavendo contagionis periculo, admoniti erant qui ægros viserent, intervallo ab iis justo abesse; Joannes ultro ejus cautionis adventantes monebat, ne nimium sibi propinquarent. Vesperi crescere denuo morbus cœpit, totaque nocte adeo Juvenem fatigavit, ut quietis nihil caperet. Feria secunda sequenti medicus ei medicinam adhibuit; quam ille hausit sine mora, conversusque ad Sacerdotem adstantem civem suum, precatus eum est, ut gratias a prandio cœnaque dici solitas, recitaret; reliquum deinde diem per summam inquietem egit, horaque consueta ardentior febris invasit.

Sub noctem quæsivit ab ægrorum curatore, an, quia sequens dies S. Laurentio festus erat, non esset Angelico se pane recreaturus. Cui cum respondisset curator, ægris deferri Eucharistiam extra Dominicos dies non solere, curaturum tamen si ipse cuperet: « Non, inquit, mi frater, ne quæso te commoveat quid ego expetam, sed faciamus quod solent ceteri; » et Synaxi abstinuit. Cum natura esset munditiei nitorisque amans, ac servans decori, rogavit admini-

strum ut vel cum incommodo suo munditiem in cubiculo procuraret, ne quid fastidii caperent qui tanta se charitate invisebant.

Hucusque morbus, medici judicio, periculo caruit, etiamsi pulmonum aliqua subesse inflammatio videretur; sed ea nocte vires illum destituere, et festo S. Laurentii die adeo jacuit debilitatus, ut singulis horæ quadrantibus fuerit refocillandus. Ille nihilo fractior animo, visitantes non minore tranquillitate accipiebat, quam si morbo nullo teneretur. Feria tertia sub noctem Rector periculi admonitus, postquam omnes valetudinario excessissent, Joannem compellans rogabat, an si Domino placeret in cælum eum evocare, aliquid molestiæ moraretur. « Non, R. Pater, ajebat, nisi forte metus aliquis defecturæ charitatis inter Flandro-Belgicam Provinciam et Romanam, quando Belgii Patres, me socioque meo mortuis, in posterum forte verebuntur huc Belgas mittere, desinetque paulatim vigere egregia illa et tam propria Societati communicatio. Verum si Deo gratum fuerit me mori, novit ipse quid melius sit. Quod ad me attinet, in divina voluntate penitus acquiesco, sed si desiderium spectem et inclinationem, migrare mallem quam remanere. »

Rectori placuit hæc Joannis responsio, et egregiam animi dispositionem admiratus est,

sed quo ad se res illa tangeret, optasset tam insigni virtutum exemplo Collegium suum non orbari; et quia valetudini ejus metuebat, ægrorum curatorem ejusve socium noctem pervigilare jussit. Sub quartam ergo noctis horam (12^m^ vulgarem) cum capere somnum non posset, Joannes de Deo disserere instituit. Valetudinarii curator pulsu venarum explorato, cum vix micare deprehendisset, ad Joannem, Nihilne, inquit, tibi Pater Rector injunxit? nam e re mihi facturus videris, si cras mane sacro te Eucharistiæ pabulo recreaveris. An ut Viatico? excipit Joannes : Ut Viatico, ait alter; nam parum affulgere spei video.

His auditis, Joannes tamquam jucundissimis acceptis nuntiis recreatus, administri collo injectis brachiis, stringit complexu, significans quanto animi gaudio perfunderetur. Contra commotus administer, adeo in planctum erupit, ut singultibus vox impediretur: Joannes vero animum illi erigebat solando hortandoque, non patienter modo, sed alacriter ferret : « Age, inquit, mi Frater, læti jam nos comparemus; certe jucundiorem nuntium, majoremque lætitiam numquam mihi poteras attulisse. » Tum Christi e cruce pendentis imaginem a se petitam, ubi manibus tenuit, sic affari cœpit : « Domine, tu » scis te esse unicum et universum bonum » meum quod in hac vita possedi et etiam-

» num possideo; ne igitur me deseras, o Do-
» mine Jesu. »

His similibusque cum Deo colloquiis, ardentibus sane, tempus extraxit; quibus audiendis valetudinarius in lacrimas scilicet amplius liquescebat, sed sumpta tandem fiducia, flagitans uti Deum pro se in cælo oraret, obtinuit promissum. Admonitus Joannes tanto illo affectuum impetu vires forte nimium fatigatum iri, rogatusque ut iis aliquantum temperaret, At intelligas velim, mi frater, inquit, animum mihi colloquiis istis admodum refici ac sublevari. Moxque ei scribere jusso, hæc verba dictavit :

« Veniam oro dulcissimum Patrem meum
» Generalem, et pœnitet me tam indignum me
» extitisse Societatis filium. Gratias pariter ha-
» beo dulcissimæ matri meæ Societati Jesu, ob
» maxima mihi indignissimo collata beneficia.
» Gratias ago P. Rectori, Præceptoribus meis
» P. Francisco Piccolomini, P. Tarquinio Gal-
» luzzi, P. Horatio Grassi, pro impenso in me
» tot laborum officio. Gratias ago Patri Ministro et
» Fratribus valetudinarii curatoribus, pro in-
» signi eorum erga me benevolentia. Gratias
» ago omnibus qui exigui hujus morbi tempore
» me inviserunt. Cupio ut culcita humi ster-
» natur, quando sacram Communionem acci-
» piam; ac tum frequentes opto adesse Fratres

» meos Collegiales novos. Oro P. Rectorem, ut
» cum ego nec cominus nec eminus quem-
» quam amplecti possim, vices meas imponat
» alteri, qui pro me Patres Fratresque meos
» charissimos juxta morem Societatis amplecta-
» tur. Cupio mori indutus veste Societatis. »

Hoc schedium P. Rectori in manus dari rogavit, eoque perscripto, ad intermissos pietatis affectus rediit. Sexta noctis hora (secunda post mediam noctem), feria quarta imminente, P. Rectorem ad se vocari flagitavit. Is quam mox adfuit, reperitque Joannem animo in Deum defixo, accinctum itineri illi magno in cælum. Diu cum illo Joannes de rebus animi sui collocutus, exomologesim ei facere instituit; quæsitaque Rectoris sententia, an e re esset, vitæ quam in Societate degerat universæ facta narratione se expiare, cum non esse intellexisset, acquievit. Ita nempe Rector judicabat, cui exploratissima erat illius vitæ innocentia, quam Angelica puritate, accurata legum omnium observantia, vigilanti sui custodia, perfectissimam plane consummarat.

Dum simul colloquuntur, ingressus valetudinarius, dictatum mox schedium Rectori dat; quo lecto, annuit petitis, concessitque fieri quæcumque ex ejus forent consolatione. Utque Collegiales novi adessent, dum Viatico Joannes instrueretur, negotium cuidam dedit

admonendi, quam primum e somno excitarentur, in Templum frequentes convenirent, ad comitandam sanctissimam Eucharistiam. Joannes interea rerum omnium faciendarum providus, cum mox Extremam Unctionem esset accepturus, reverentia motus erga Sacramentum, curatorem suum rogavit ut sibi pedes ablueret. Octava noctis hora (quarta matutina) audito vigiliæ signo, obierunt cubicula excitatores, nuntiantes Joannem Viaticum jamjam accepturum. Visum omnibus, accepto tam inexspectato nuntio, non tam vocem audire auribus, quam telum infigi pectoribus, unoque fere ore conclamabant : Heu quantam facimus jacturam! o qualem, quam sanctum amittimus fratrem! Utque in tempore adessent, Synaxim ultimam obituro, pro se quisque maxime accelerabat.

Adjunxit se lateri Joannis P. Cornelius a Lapide, sciscitatus utrum nihil esset quod anxium ejus animum haberet; magna ille mentis tranquillitate respondit : *Nihil omnino.* Strata in solo culcita fuit, ipseque tunica talari, ut cupiverat, indutus est. Accurrebant interea in valetudinarium quotquot adesse tempori potuere; qui viso Angelo illo in culcita posito super pavimento, auditisque ferventissimis ejus vocibus, quibus nunc Jesum nunc Mariam alloquebatur, lacrimis præ animi teneritudine non temperabant. Media post octavam hora (quarta

cum dimidia) Collegii Rector, multorum Patrum et Fratrum corona cinctus, et præsentibus omnibus Collegialibus novis, intulit in Joannis cubiculum cæleste illud Eucharistiæ pignus. Tum ille adstantium duorum auxilio in genua allevatus, confessionis præmissa formula, dum sacram Hostiam sacerdos digitis tenet, improviso, sed magno amoris spiritu, in hæc verba prorupit : *Protestor hic esse verum Filium Dei Patris omnipotentis, et Beatissimæ semper Virginis. Protestor me velle vivere et mori verum filium sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ. Protestor velle me vivere et mori verum filium Beatæ Mariæ Virginis. Protestor me velle vivere et mori verum filium Societatis.*

Quibus tam inopinatis vocibus, tanta affectus et pietatis significatione prolatis, permoti circumstantes, cum deinde audirent hæc ei verba a sacerdote reddi : *Accipe, frater, viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam æternam;* perinde atque jam comclamatum fuisset, præcisaque in posterum spes omnis utendi suavissima illius familiaritate, tam abruptus sese omnium planctus in lamenta effudit, ut nisi qui præsentes audierint, difficile sint credituri.

Joannes pignore illo æternæ gloriæ accepto, submisso parumper capite, brachiisque ante

pectus in crucem decussatis, totus interea abripiebatur animo, ad divinum illum hospitem omnibus flagrantissimæ charitatis officiis demerendum, a quo invicem mox ipse cælesti erat hospitio accipiendus. Tum in lectulum reclinatus, Sacro se Oleo liniri in extremi agonis luctam postulavit, ungique præsente se expetiit Germaniæ Assistens (1), qui recens in Collegium venerat. Refertum erat cubiculum domesticis qui adesse voluerant; iterumque, ubi recitare consuetas preces Rector instituit, tanta omnium erupit comploratio, ut Rectorem quoque commoveret, nec nisi semifractis truncatisque vocibus peragere posset; contra ille qui plorabatur, placidissima quiete animi ac tranquillitate, junctis manibus, oculis in cælum fixis, animo in Sacramenti cogitationem reverentiamque abducto, sacerdoti ultro respondebat, contenta voce ac fere solus, cum ceterorum vocem lacrimæ gemitusque impedirent.

Jam salutari Oleo delibutus, sui coram præsentibus accusandi de admissis defectibus, formula nobis usitata, facultatem a Rectore impetravit, idque magna cum humilitate præstitit. Rogatus num quid aliud solandi sui causa fieri dicive vellet, Rectori in aurem : « Si, inquit, Reverentiæ vestræ videtur, significare

(1) P. Theodorus Busæus.

Patribus Fratribusque præsentibus, nunc maximam consolationem meam hanc esse, quod non meminerim, ex quo in Societate vivo, me ullum peccatum veniale voluntarie admisisse, vel ullam ex regulis nostris scienter transgressum esse aut ullam Superiorum meorum ordinationem, id totum committo Rev. V. arbitrio. » Magna id animi demissione indifferentiaque proposuit, ex desiderio scilicet, quo ferebatur, ut regularem observantiam omnes æstimarent et amarent. Rector id fore e publica utilitate ratus, circumstantibus ejus verba retulit. Quibus auditis, omnes hoc amplius tam innocentis fratris sodalisque jacturam deplorare. Nam certius jam credebant, illius desperatam debere esse sanitatem, quem numquam alioqui, nisi certum securumque moriendi, sic fuisse de rebus suis locuturum sciebant.

Deinde cum amplecti universos cuperet, Rector veritus ne nimium se fatigaret, cum omnium se nomine eum esse complexurum dixisset, eorum tamen qui præsentes intra cubiculum aderant, amplectendorum copiam fecit. Cum horum plurimis instar sani et valentis colloquebatur, et deferendas in cælum eorum supplicationes ac mandata (quasi brevi eo profecturus) recipiebat; aliis varia salutis virtutumque præcepta ingenua simplicitate commendabat. Supererat Mathematices Pro-

fessor (1), cujus postremi collum Joannes amplectens, Hac nocte, inquit, mi Pater, in mentem mihi venit tantæ tam prolixæ charitatis vestræ in me; argumento sit schedium a me dictatum. Gratias ago pro omni (quam docendo me suscepisti) molestia ac labore. Professor lacrimans et in genua abruptim provolutus, veniam a Joanne petiit, quod non ea qua par erat charitate affectuque cum esset prosecutus, neque exemplo ejus, in quantam debuerat perfectionem fuisset provocatus, rogavitque, uti cum in cælo degeret, donum orationis sibi impetraret. Joannes ut erat egregia humilitate, ægerrime patiebatur sacerdotem cumque præceptorem, jacere sibi advolutum, anxiaque sollicitudine ut se erigeret obtestatus, facturum apud Deum quod petebat pollicitus est.

(1) P. Horatius Grassi.

CAPUT SECUNDUM.

Rector Collegii ejus mortem deprecari conatur, idque Joanni videtur cælitus innotuisse. — Invisitur a R. P. Generali. — Morbus ejus corpori sed non animo quietem adimit. — Ad mortem proxime se parat. — P. Joannes de Lugo, Theologiæ Professor, ei negotium aliquod Deo admodum honorificum commendatum venit. — Visitantium concursus. — De ejus virtute opinio illustrissimi Angeli Cesi. — Moriturus tria plerisque commendat. — Privata quibusdam tradit documenta. — Aperte suæ mortis tempus præsignat. — Armatus est adversus tentationum assultus. — Prædicit loquentem se esse moriturum. — Horis aliquot ante mortem canit hymnum *Ave maris stella.* — Tentatur a diabolo, ut præviderat. — Loquendi usum amittit, sed tribus post horis eum recuperat. — Denuo tentatur. — Ante mortem Litanias Beatissimæ Virginis distincte recitat. — Moritur oculis in Christi crucifixi imaginem defixis, et pronuntiatis sanctissimis Jesu et Mariæ nominibus.

Interea sacris operatum abiverat Rector, et Joannes vultu ad P. Franciscum Piccolomini præsentem verso, *Pater Rector,* inquit, *luctatur pro me, ut Jacob.* Id quod brevi non abs re dictum fuisse constitit, nam redux a sacro Rector, reique jam dictæ inscius, cum Joanni diceret: Conquestus nonnihil cum Domino sum, mi frater Joannes, quod immature adeo videatur te velle nobis eripere; Joannes subridens, dejectis modeste oculis responsi nihil reddidit. Eodem illo die semel et iterum eidem Patri hæc verba repetivit : « Oppugnat me Pater Rector, sed non vincet. Timeo ne Pater Rector opponat se voluntati divinæ. » Quæ verba a plerisque

ad P. Rectorem relata, convenire cum re ipsa compertum est, cum ille sæpius eo die flagranter a Deo vitam sanitatemque Joanni esset deprecatus; nec scitur qua id via humanitus Joannes intelligere potuisset. Præter ordinarium domus medicum, hoc die advocatus est Doctor Angelus Bagnarea, qui visa insigni Joannis cum voluntate divina consensione, tantaque animi mortem exspectantis hilaritate et tranquillitate, ad pietatem commotus, cum lacrimis jam digrediens exclamabat : « Hic al-» ter est Aloysius. O beatos vos, qui tam ala-» criter ad mortem estis comparati! Non est » ubique hæc felicitas obvia. »

Hoc illum die P. Generalis invisit (1), cujus se præsentiam priusquam moreretur desiderare dicebat, cum ad benedictionem ejus obtinendam, tum ad gratias referendas curæ in se paternæ, et ad veniam petendam. Pater Generalis nihil ignoscendum exstitisse dixit, eique benedictionem impertitus est, et priusquam abiret, aqua lustrali aspersit(2). Cubiculum ejus

(1) P. Mutius Vitelleschi.

(2) « Dopo pranzo venne a visitarlo il Padre Generale, il quale gli disse : e ben Fratello Giovanni, vene volete andare in Paradiso senza di Noi; alle quali parole egli sorrise chinando il capo, ed aggiunse che aveva molto desiderato di veder sua Paternità, per aver la sua benedizione prima di morire, che ringraziava sua Paternità della cura che di lui aveva tenuta nella Religione, e le chiedeva perdono. E soggiungendo Nostro Padre, che non aveva fatta cosa che molto l'avesse potuto offendere,

toto hoc die Patrum Fratrumque plurimi assidue compleverunt; quos ille solita affabilitate universos accepit. Quod vero sentiret, quæcumque medicorum arbitrio juberentur, ea refocillandis instaurandisque viribus suis adhiberi medicamenta atque aromata, cujuscumque pretii forent, religioni ducere cœpit id sibi abunde superque esse, et Patri cuidam (1) dixit: *Meus hic morbus pretiosus est;* quo respondente, eam esse Societatis solitam charitatem, protinus acquievit. Vespere feriæ quartæ cum pæne omnes ei advigilare cuperent, mandavit Rector ut nonnullis vigilantibus alii somnum peterent.

Morbus corpori quidem, sed non animo Joannis quietem adimebat; quippe mens ejus altam cum Deo colens pacem, piissime preces quasdam in cælum perpetuo dirigebat. Rogatus ergo subinde quare suspiraret, Gratias, inquit, Deo ago pro beneficio vocationis. Sacerdos quidam quærebat, an legi sibi aliquid vellet; Caput, inquit ille, ex B. Aloysii historia, de ejus morte. Cum in lectionis cursu ventum esset, ubi narratur, nullum ab Aloysio per longinquitatem morbi, impatientis animi signum datum esse; ille ad Christum cruci affixum versus, Domine, inquit, si in hoc ego peccavi (quod

presa l'acqua santa lo benedisse in fronte, e così si partì. » *Summarium super signatura commissionis introduct. causæ* etc. p. 172.

(1) P. Joanni Gaudt.

non memini), mihi ignosce. Audito deinde, quod accepto mortis nuntio, hymmum *Te Deum laudamus* recitasset, conatus imitari, rogavit adstantes sese ut juvarent, adjutusque recitavit.

Valetudinarius explorando venæ motu cum propius accessisset, quæsivit Joannes, ecqui valere sibi videretur. Ad terminum, inquit, appropinquamus. Tum ille, qui permiserat eo usque Sacerdotum assistentium officio subinde se vel ad movendum corpusculum adjuvari, vel medicinam, vel aquam refrigerando palato præberi, eos rogavit sui deinceps movendi officio abstinerent, ne, ut ipse pie interpretabatur, irregularitate se aliqua imprudentes obstringerent, maturando sibi mortem per obsequia. Mox Crucis sigillum dari sibi poposcit; quod allatum Rosario e collo detracto religiose redimivit (sic namque dormire solitum, suspensa e cervicibus Corona, supra scripsimus). Tum Regularum nostrarum petito libro, cum forte unus aliquis adferretur, a quo abesse Scholasticorum leges percurrendo folia observasset, alterum dari sibi flagitavit, quo leges illæ quoque continerentur. Hunc allatum, Cruci Rosarioque applicuit; ac tria hæc instar pretiosi fasciculi simul manu complexus, insolita verborum hilaritate dignissimam conscientia sua vocem emisit: *Hæc sunt tria mihi charissima,*

cum his libenter moriar; osculatusque, pectori imponebat.

Insuper rogabat afferri schedulas aut icunculas Sanctorum omnium, quas variis mensibus sortitus servaverat, agglutinatas libello cuidam e charta virgine, e quibus subinde gnomas breviculas prælegi sibi cupiebat. Psalmos præterea Graduales, quibus multum delectabatur, sibi recitari curavit, reliquumque noctis quiete utcumque duxit. Proxime surgendi horam, valetudinarii curatorem compellans, Pater Rector, inquit, contendit pro viribus, ut me beneficio Provinciæ meæ servatum a Domino exoret; sed credo irritum conatum fore. Paulo post Rector ipse adfuit, jussitque Joannem suam a Deo (si e majore ejus esset gloria) salutem flagitare. Iterum reversus, Mi frater Joannes, inquit, inter recitandum sacras Officii canonici preces, notavi illa cujusdam Responsorii verba, quæ quadrare in te videntur : *Puer meus, noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus. Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, et odor ignis non erit in te. Liberabo te de manu pessimorum, et eruam te de manu fortium;* auguror probatum in te iri vaticinii veritatem. Tum ille, Ita spero, respondit, sed meritis Beatissimæ Virginis; eademque secum verba reputando sæpius repetebat; ac solus cum esset, aut a paucis circumsessus, suavis-

simis affectionum piarum jaculis cælum petebat, præcipue vero Deiparam hisce similibusve sententiis alloquebatur : *Ne me deseras Maria, ne me fallas ; filius enim tuus sum, tu scis, quia juravi.*

P. Joannes de Lugo S. Theologiæ Professor (1), cum forte negotium quoddam Deo admodum honorificum præ manibus haberet, id Joanni commendatum venit; adeo precibus ejus fidebat.

Feria quinta mane, rumore vulgatum erat Joannem de morte sua clarius edixisse; hinc magni qua nostrorum qua externorum in Collegium concursus, se suaque precibus illius commendantium. Etiamsi enim paucis ob exiguam rerum tractationem huc usque notus esset, inclaruerat tamen opinione singularis modestiæ innocentiæque, qua passim sanctus audiebat. Hos inter fuit illustrissimus Angelus Cesi, filius Ducis d'Acquasparta, qui Joannis virtutem adeo semper suspexit, ut non raro in

(1) Is hoc ipso anno 1621 Romam advenerat ex Hispania. Anno 1645 ab Urbano VIII Cardinalis renuntiatus est, addito etiam præcepto in virtute S. Obedientiæ, ne dignitatem deprecaretur. Vir fuit virtutibus juxta et ingenii acumine doctrinaque illustris. De eo ita S. Alphonsus de Ligorio in Theologia Morali (lib. 3. n. 552). « Doctissimus Lugo qui post D. Thomam non » temere inter alios Theologos facile Princeps dici potest, cum in » dubiis discutiendis hic Auctor sæpe nullo præeunte, falcem » ita ad radicem ponat, ut rationes, quas ipse in medium addu» cit, difficulter solvi valeant. »

Collegii hortum venerit ejus observandi causa, dum colloquii hora cum aliis animum relaxaret, simulque illo se spectaculo recreandi, quo omnes, unico campanæ signo audito, sermonibus intermissis, silentio summo, ad suas quisque occupationes, in cubicula revertuntur. Jam nempe id maximo illi quoque solatio erat, eum videre in illo mortis procinctu tanta animi tranquillitate, tanta alacritate vultus jacentem, ac si æger non fuisset, audire tam placide loquentem de morte, deque secutura vita. Cujus orationibus cum salutem suam commendasset, inde digressus, affirmabat visum sibi Angelum in eo lecto vidisse jacentem, in quo tam placide quiescebat, tam expedite loquebatur, ut nec morbi, nedum mortis, sensum ullum haberc videretur.

Juvenem quemdam nominans, qui biduo post in Tirocinium Societatis erat ingressurus, Hic, ajebat (magna vultus animique hilaritate), meum in locum est successurus. Domino Hieronymo Martelli promisit se memorem ejus in cælo fore. Inclinante jam die, rediere medici, viribusque defectum reperere. Quibus cum gratias humaniter habuisset, uni eorum, *Proficiscimur,* inquit, *Domine, proficiscimur.* Et quo? rogat ille : *In cœlum*, ait Joannes. Roganti medico, ut sui in cælo esset memor, promisit facturum libenter. In discessu Filander medi-

cus, Non est, ait, tanta morbi hujus gravitas, quæ juvenem adeo debilitare possit; sed illud necessario cum Hippocrate dicendum nobis est: *Hic moritur divinitus*, adversus quam vim omnis nostra impar est medicina.

Jam æger tot visitationibus fatigatus viribusque defectus, sibi ut relinqueretur, a superioribus mandatum erat; at Joannes, visa Patrum Fratrumque præ foribus turba, facultatem petiit, singulos seorsim admittendi, non ignarus (ut evenit) extremum id alloquium fore. Post alium alius singuli introiere, supremum salutaturi amplexurique. Nonnulli pro sua in eum veneratione, quam ille ægerrime patiebatur, nec nisi cum dolore ferebat, de genibus loquebantur, unusquisque cum lacrimis se suaque commendantes, et salubre monitum aliquod poscentes. Joannes corpore debilis, sed firmus animo, benevole audiebat omnes, pollicitus omnium postulata curaturum; ac tria hæc inter alia omnibus commendabat, devotionem erga Beatissimam Virginem, sanctæ orationis studium, quam rectissimam viam esse dicebat ad unionem cum Deo consequendam, tertio accuratam Regularum nostrarum observationem.

Aliis privata quædam præcepta tradebat ad internum cujusque habitum proprie spectantia; quæ tam accommodata plerisque præscribebat, ut obstupescerent, quomodo perspecta illi essent

alienæ mentis arcana, quæ soli Deo putabant esse posse explorata; ac plerique eorum et Rectori et Præfecto spiritualium rerum affirmarunt, magno sibi usui ea documenta fuisse. Magistro suo pollicitus est, impetraturum se condiscipulis suis omnibus devotionem erga Virginem Matrem. Patrem quemdam (1) controversiis scribendis districtum, orabat ut stylum verteret in Calvinum. Concionatorem unum (2) adhortatus est (quamdiu per Ecclesiæ auctoritatem liceret) Immaculatam Virginis Conceptionem constanter e suggestu tueretur. Germano cuidam Sacerdoti (3) auctor erat, probaret se non degenerem Societatis filium in propugnanda Ecclesia Romana adversus hæreses inter Septemtrionales.

Alterum quemdam (4) instigabat ad celebrandos Beatos ordinis nostri, libris nempe suis, ut ipse intelligebat; nec aliter alios, diversis fere modis singulos apte adhortabatur, quorum cum longa sit series, non satis etiam de monitis reliquorum liquet. Sed illud hoc in genere animadversum fuit, Joannem insigniter alioqui humilem, modestia verecundiaque eximium, qui non Majores modo, sed infimos quosque

(1) P. Andream Eudæmonem Joannem, natione Græcum. Vide Sotwel. p. 49.

(2) P. Josephum Copponi. Ibid. p. 521.

(3) P. Alexandro Rocca.

(4) P. Joannem Baptistam Ferrari. Ibid. p. 411.

reverebatur, neque alias facile cuiquam (nisi intima sibi familiaritate conjuncto) documenta ulla tradidisset, hac vespera tanta libertate locutum, *tamquam* fuisset *potestatem habens*. Et certe ea erat tum loquentis gravitas ac majestas, ut quivis facile intelligeret, non tam illum quam Deum ejus verbis loqui.

Aderat omnium postremus adolescens quidam patria Hungarus (1), Joanni in studiis æqualis, qui singulari religione eum semper observarat, amabatque affectu tanto ob egregiam quam de eo habebat sanctitatis opinionem, ut res cum illo intimas animi sui communicaret, eique non secus morigeraretur ac Patri suo spirituali. Hunc Joannes ob insignem illam fiduciam cum strenue ad virtutem promovisset, extremum esse adventantium jussit, quo per otium liberalius ei loqueretur. Digressis omnibus solum admisit, et cum eum amplexus esset ita compellavit : « Jam ultimum, mi frater, plurimam salutem tibi dico, nec ultra te alloquar in hac vita. Scis me in terra te dilexisse, pergam te diligere in cælo. »

Quibus verbis ille ad lacrimandum commotus, et in genua provolutus, Siquidem me deseris, inquit, rogo ut mihi impetres a Beatissima Virgine ea auxilia quibus nosti me egere ad salutem et perfectionem meam, speciatim vero

(1) Nicolaus Radkai.

ut sim genuinus Societatis filius, ipsaque ut talem me agnoscat. — Joannes paterno velut affectu, Libenter mi frater, respondit, quæ petis tibi impetrabo, et insuper etiam spiritum orationis et mortificationis. — Tum alter : Dic ergo, Joannes, credisne cras te esse morituruni? — Cras mane, credo, inquit. — Poterone, rogat alter, præsens interesse? — Cura ut intersis, respondit ille. — Denique de genibus hoc ultimum obtestatus, Quando ergo me relinquis, ait, mi frater Joannes, supremam mihi quæso benedictionem impertire. Hic Joannes abnuere, alter precari atque instare per amorem illum perpetuum, per fiduciam tantam, qua arcte adeo fuerant colligati, ne tristem se dimitteret, negando hanc ultimam gratiam. Victus ergo precibus Joannes, sublata manu, ridente vultu, affectu quodam teneriore bis illum cruce ducta signavit; subrectumque in pedes (cum gratias ei egisset pro commodatis per morbum reliquiis Beatorum nostrorum) rogavit easdem sibi ad mortem usque relinqueret; quod promisit, et plenus solatio discessit.

Collegii Rector viso illo tanto tam insolito concursu, non Fratrum modo nostrorum sed et Sacerdotum, in genua se abjicientium, petentiumque ab eo cruce signari; subveritus ne malus dæmon gloriolæ alicujus inanitate infla-

tiores ei forte spiritus faceret, egredi cubiculo jussis qui aderant, Joannem sic admonuit : Mi frater, duplici tentationum genere dæmon hoc tempore te aggredi posset, fidei nimirum, et inanis gloriæ agitatione. Macte ergo animo, adversus utrumque armatus fortiter decerta. Tum Joannes : Deo sint grates R. Pater, equidem adversus fidei oppugnationes satis mihi armatus videor; contra vanæ gloriæ assultus, si qui evenerint, jamjam egregie me communivit Præfectus rerum spiritualium.

Solebat dum valeret intecto dormire capite, nullo nocturni pileoli usu. Valetudinarius sollicitus ne id ægro noxium esset, pileolum ei induxit, adjiciens melius ægro esse si tegeret caput. Ille tum quidem tacuit, at mox absente valetudinario, Patrem quemdam interrogavit, faceretne contra leges, in lecto jacendo capite aperto. Pater ei affirmabat, neque legi ulli, neque modestiæ virtuti repugnare. Si vel pauxillum intectam corporis partem aliquam videret, statim operiebat. Quin Patrem aliquem curæ suæ invigilantem (1) obsecravit, ne omitteret se contegere, etiamsi forte (quando jam loqui non valeret) brachiorum jactu id deprecaretur.

Vespere ad Angelicæ Salutationis signum, oravit eumdem sacerdotem civem suum ea sibi

(1) P. Joannem Gaudt.

nocte ut adesset, præsentiens imminere nimbum aliquem tentationum : *Quia hac nocte,* ajebat, *agetur de summa totius rei.* Quin tertium eodem illo die valetudinis curatori dixerat apertius, paratas sibi a dæmone machinas, quare pro se Deum oraret. Magistro denique suo his verbis: *Pater, hac nocte luctabor;* alteri vero sacerdoti istis, *Erit mihi hac nocte luctandum,* instantem prædixerat pugnam. Animum erigebant ei omnes, hortati a Beatissima Matre Angeloque Custode certam speraret opem Juvenem intuitus æqualem sibi in Belgico Societatis Tirocinio (1), Commendabo te, inquit, Beato Aloysio. Qui cum rogaret, Siccine ergo lubet abire? *Cras credo,* ait, *discedam.*

Circiter primam noctis (nonam vespertinam) ambulationes exedræque valetudinarii confertæ erant sacerdotibus aliisque domesticis, adeo quilibet, ne abesset, supremi illius temporis studebat esse securus; neque facile ut abirent longius persuaderi se sinebant, dum Rector dormitum omnes proficisci jussit ad capiendum somnum, pollicitus si mori contingeret, esse eos expergefacturum; quo promisso cubitum omnes discessere. Præceptori abiturienti dicentique : Vide sis, mi frater Joannes, in reditum me exspectes, neque absente me proficiscaris; respondit, *Ne dubitet R. V., præsens aderit*

(1) G. Van Aelst.

meæ profectioni. Patrum aliqui, extra eos quibus assistendi mandata erat cura, pro sua in eum pietate rogarunt, uti manere sibi liceret. In his P. Stephanus del Bufalo, studiorum Præfectus, foris vicino in cubiculo aliquot horis moratus est, sed pactus ut vocaretur, tandem discessit.

Cum nonnulli ex ipso morbi genere augurarentur mori eum etiam loquentem posse, idque audisset Joannes : « Sic eveniet, inquit, cum alterutrum a Deo petierim, ut aut in castris moriar inter juvandum milites qui in Belgio adversus hæreticos præliantur, aut sensibus integris ac loquens; hoc posterius a Deo mihi concessum iri prorsus non dubito. » Digressis omnibus, valetudinarius pauxillum illi carnis in liquorem decoctæ præbuit; quod cum exsorbuisset, Abunde, inquit, mi frater, oro te, sorbilium est, jam non edendi, sed orandi tempus est.

Remanserant ea nocte ad pervigilandum tres Patres Belgæ (1) ac secunda fere noctis hora (decima vulgari) uni eorum sponte sua « Vellem, inquit, ut preces recitentur in commendationem animæ, ne forte commodius deinde tempus deficiat : » quod illico factum. In Litania decurrenda, cum ad Confessorum ordi-

(1) Marcus Van Doorne, Joannes Gaudt et Philippus Alegambe.

nem ventum, voluit addi nomina cælitum nostri ordinis, SS. Ignatii et Xaverii, Beatorum Aloysii, Stanislai et Francisci Borgiæ, Patris Josephi Anchieta et Alphonsi nostri Rodriguez (1).

(1) Hodiedum Sancti Societatis numerantur hi decem : Ignatius Loyola, Franciscus Xaverius, Franciscus de Borgia, Joannes Franciscus Regis, Franciscus de Hieronymo, Aloysius Gonzaga, Stanislaus Kostka, et tres martyres Japonenses, Paulus Miki, Joannes de Goto et Jacobus Kisaï; Beati vero duo numerantur, Petrus Claver et Alphonsus Rodriguez.

Titulo Venerabilium insigniti sunt Ignatius Azevedo et socii triginta novem, Rudolphus Aquaviva cum sociis quinque, Andreas Bobola et Joannes de Britto, quorum omnium martyrium agnitum est, iisque addendus Carolus Spinola, cujus agnitum martyrium *ex parte tyranni* (Bened. XIV *de Beatif. et Canoniz.* l. 3, c. 13, n. 1); præterea Petrus Canisius, Josephus Anchieta, Bernardinus Realini, Ludovicus De Ponte, Aloysius Lanuza et Joannes Berchmans, quorum virtutes heroicæ sunt declaratæ; denique Robertus Bellarminus, Franciscus del Castillo, Alexander Luzaghi, Antonius Baldinucci et Josephus Pignatelli, in quorum causis signata est commissio introductionis; quod requiri et sufficere docet Benedictus XIV, ut Servi Dei secundum usum sacræ Congregationis rituum Venerabiles dicantur.

His addendi forent et alii forte, sed mihi non constat quibus in causis, præter dictas, commissio introductionis fuerit signata. Anno 1671 universim causæ Servorum Dei de Societate in Congregatione rituum agebantur minimum triginta (*Novissima Positio super virtutibus Ven. Joannis Berchmans. Romæ* 1842, *part.* 3, *pag.* 8); qui numerus forte non ita magnus videbitur, si attenderimus aliquot annis antea, anno nempe 1657, præter eos qui cum fama sanctitatis decesserant, numeratos jam esse trecentos et triginta octo, qui in odium fidei inter infideles et hæreticos interempti fuerant aut carcere ærumnisque confecti (*Annus dier. illustr. S. J., sive mortes eorum qui ex eadem Soc. in odium fidei occisi sunt etc. Romæ* 1657). Verum anno 1678 latum est decretum ab Innocentio XI, quo atte-

Finitis precibus, experiebatur an somnus se ullus complecteretur, at ubi nihil esse somni

stationes extrajudiciales processuum in causis Servorum Dei confectorum in probationem admittere quomodocumque prohibetur (Bened. XIV loc. cit. *l.* 2, *c.* 44, *n.* 17); eumque hujusmodi attestationes extrajudiciales maximam partem veterum processuum replerent (*Novissima Positio etc. part.* 2, *pag.* 2, *et part.* 3. *pag.* 6), inde factum est ut causæ aliquot nonnisi difficile admodum progrederentur, præsertim ubi de virtutibus Servorum Dei ex depositionibus judicialiter et prævio juramento factis (quæ in antiquis processibus, si deficerent, jam suppleri non poterant) erat agendum. Anno tamen 1741 Benedictus XIV prædictum decretum in quibusdam mitigavit, plura deinde miracula ad subsequens judicium de miraculis requirens (loc. cit. *l.* 3, *c.* 3), ex quo factum ut causa Ven. Joannis Berchmans aliæque introduci aut promoveri deinceps potuerint.

Non omittendum denique multorum, qui cum fama sanctitatis aut martyrii obierunt, processus lapsu temporis, et præsertim exeunte sæculo præcedente et hujus initio, mediis tumultibus, in variis locis deperditos esse. Ii autem quorum in hunc usque diem in archivo sacræ Congregationis rituum processus asservantur, præter superius recensitos, sunt sequentes: Gonsalus Sylveira, Didacus de Sanvitorez, Marcellus Mastrilli, Sebastianus Vieira, Stephanus Pongratz, Melchior Grodeski, Vincentius Caraffa, Andreas Oviedo, Joannes de Alloza et Emmanuel Padial.

Juverit porro de causæ introductione, deque titulis *Servi Dei*, *Venerabilis Servi Dei*, nonnulla annotare ex Benedicto XIV, quæ forte aliqui accuratius novisse cupient.

1. Signatura commissionis *introductionis* alicujus *causæ*, est supplicatio a Postulatoribus Summo Pontifici exhibita, et ab eo admissa et subscripta, per quam ipse facultatem Congregationi rituum impertitur procedendi in causa Beatificationis et Canonizationis alicujus Servi Dei. *De Beatif. et Canoniz. lib.* 2, *c.* 33, *n.* 1.

2. « Titulus *Servi Dei*, juxta consuetudinem Congregationis sacrorum rituum, illis tantum tribuitur, de quorum agitur

sensit, in aliam partem versus, contenta alacrique voce cantare cœpit hymnum *Ave maris*

Beatificatione; iidemque sic communiter appellantur in scripturis Postulatorum... nec non in decretis sacræ Congregationis, sive agatur de signatura commissionis, hoc est de causæ introductione.... seu denique de virtutibus aut miraculis. Quodque notabilius est, citra ullam læsionem decretorum generalium Urbani VIII, *Servi Dei* appellantur omnes illi, qui cum sanctitatis laude decesserunt, sive eorum effigies cum aliqua inscriptione edantur, sive eorumdem Vitæ typis mandentur. » *Ib. l.* 1, *c.* 37, *n.* 2.

3. « *Venerabilis* autem *Dei Servus* ille vocatur, cujus sanctitatis fama judiciali jure probata est.... et ita quidem stricte loquendo, *Venerabiles Dei Servi* sunt illi, in quorum Beatificationis et Canonizationis causis commissio introductionis signata est; non signatur enim commissio, nisi judiciali more constiterit, ex processu auctoritate ordinaria confecto, de fama sanctitatis et miraculorum. » *Ib. n.* 4.

4. Signata commissione introductionis, dicitur sancta Sedes manum ad causam apposuisse, quæ manus appositio impedit ne ullus inferior possit amplius eidem sese immiscere. *Ib. l.* 2, *c.* 35, *n.* 12.

5. « Licet olim disputaretur, an a signatura commissionis aliquod publici cultus aut venerationis argumentum desumi posset, hodie nihilominus quælibet cessat controversia, cum ex decreto edito die 19 Februarii anno 1658 colligatur, signaturam commissionis nullum cultus initium importare, sed tantummodo efficere ut peti et obtineri possint suo tempore et loco litteræ remissoriales et compulsoriales pro conficiendis processibus auctoritate Apostolica... Et sane his cohærenter præsto est exemplum satis in Urbe notum in causa Servi Dei Papæ Innocentii XI, in qua licet signata fuisset commissio introductionis, ipsa tamen minime refragante anniversaria Sacra quotannis pro suffragio animæ illius coram sacro Cardinalium cœtu celebrabantur in basilica Vaticana. » *Ib. n.* 11; *cfr. ib. c.* 13, *n.* 4.

6. Ad obtinendam signaturam commissionis plurima requiruntur, qualia sunt: prævia revisio operum a Servo, vel Serva

stella, concinna jucundaque sonorum varietate. Ad illa autem verba, *Monstra te esse Matrem*, subito se erexit. Monenti valetudinario ne se fatigaret, respondit alacrem esse oportere. Denuoque præsentes, uti pro se preces funderent, rogavit, reformidans aliquem dæmonis assultum; illique animos ei fecere.

Rogatus a valetudinario, aliquidne appeteret virium recreandarum causa, nullius, ait, mihi appetentia est, sed si quid sumi P. Rector jusserit, sumam quidquid libuerit. Hic Patrum aliquis (1) excitare eum ad religionis actus ali-

Dei conscriptorum, si scripsisse constiterit; plena comprobatio famæ virtutum et miraculorum, ope processuum auctoritate ordinaria confectorum; petitiones et supplicationes spontaneæ et repetitæ Regum, Principum et aliarum personarum authenticarum (i. e. ex laicis, Gubernatorum et Præsidum provinciarum et civitatum, ac Consiliorum earumdem; ex ecclesiasticis, Cardinalium, Episcoporum, Capitulorum, Academiarum ecclesiasticarum, Dignitatum, cœtuum Religiosorum eorumque Superiorum Generalium), quibus constet de fama sanctitatis et miraculorum, ac de pio pro impetranda Canonizatione desiderio etc. *Ib. c.* 36.

7. Attamen signata est aliquando commissio introductionis certis de causis (v. g. propter imminens periculum mortis testium, qui ad conficiendum processum Apostolicum essent audiendi etc.), antequam omnia opera Servorum Dei essent examinata, aliove remanente obstaculo a Fidei Promotore opposito, quod tamen sperareturin decursu causæ superatum iri; et tunc reservatur examen obstaculi ad judicium subsequens, in quo non de fama, sed de virtutibus agi debet. Plurima exempla adducit Benedictus XIV eodem lib. 2, *c.* 27, *n.* 7, *sqq. et c.* 36, *n.* 15 *sqq.*

(1) P. Philippus Alegambe.

quot, sententiis hisce latine pronuntiatis, cœpit: *Nunc oportet amare Christum et Beatam Virginem, quam amasti in vita et amabis in morte.* Ille sic respondere : *Quam conatus sum amare in vita, et ipsa amabit me in morte.* Iterum alter: *Et alterutrum amabitis in æternum. Ita spero,* subjecit Joannes. Paulo post denuo Pater : *Joannes, si mille corda haberes, nonne Mariam mille cordibus amares?* Tum Joannes : *Mille cordibus amarem.*

His aliisque id genus colloquiis tempus trahebant in quartam fere noctis horam (mediam noctem), cum visus ille in quietem verso corpore se dare velle; at mox ostendit non tam somni, quam prœlii advenisse tempus; siquidem versatione una in medium se lecti conjiciens, oculis in cælum fixis, turbato vultu, trementibus labiis vociferari atque hunc in modum loqui cœpit : *Hoc non faciam, ut ego offendam te Domine! Maria, ego numquam offendam Filium tuum. Absit a me, hoc non faciam. Malo millies mori, decies millies, centies millies, millies millies;* sæpiusque repetebat : *millies millies.* Exaudiere clamantem qui vicinis in exedris vigilabant; excitique et accurrentes, angustiis velut obluctantem, jactantemque perturbatius brachia reperere. Sed mox ad dæmonem conversus, dicebat: *Abi Satana, non timeo te.* Alii circum lectum genibus nixi, preces fundere, Joannem, lectum,

cubiculum aqua sacra lustrare; ille Christi crucifixi Imaginem, Rosarium, librum Regularum et Reliquiariam thecam manu corripere dicens: *Hæc arma mea sunt;* singulaque seorsim intuitus, suam cuique singularem laudem attribuit.

Injecto tandem in collum Rosario, volvere Regularum librum cœpit, titulis solis perlectis, dum incideret in formulam simplicium votorum, quam eximio sensu recitavit, perinde atque fieri quotannis bis publice consuevit coram Venerabili Eucharistia, dum vota instaurantur. Quod autem ad vitæ terminum attigisse se videret, ea verba omisit, *Ut vitam in ea perpetuo degam,* cetera deinde prosecutus.

Certamine finito, sacerdos quidam (1), cui munus curandi missiones ad fora compitaque viarum, Litaniam cum aliquo vocis cantu recitare cœpit, Joanne præcinentem eodem vocis sono subsequente, et Imaginem Christi e cruce pendentis erigente, versanteque varias in partes nunc horsum nunc aliorsum, uti consueverat scilicet, cum per vicos plateasque ac fora Romana id præferebat concionibus advocandis. Ubi ventum ad invocationem *Agnus Dei,* dicto, *Parce ei Domine,* Joannes sistere paulisper, et solus ipse oculis in crucem fixis, tricies, præter propter, magno illud affectu sensuque re-

(1) P. Petrus Gravita.

petivit, *Parce Domine, Parce Domine, Parce Domine.*

Hic valetudinarius, venarum pulsu explorato deprehensaque majore virium debilitate, non obscure magnis cum passibus ad vitæ metas properare sensit. Rectorem ergo celeriter admonet, ceterosque quos jubebat Rector. Adfuere statim omnes sexta noctis hora (secunda post mediam noctem); Rector ingressus, Joannem ad exercendos varios actus contritionis et virtutum theologicarum sententiis hisce brevibus, quibus alias solitus erat, per hunc modum provocavit : *Doleo Domine, Credo Domine, Spero Domine, Amo Domine.* Tum illo etiam sæpius repeti jusso, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum ;* ceterisque parumper dimissis, ultimo absolutionem ei impertitus est, solusque cum solo aliquamdiu collocutus. Egresso Rectore, spiritualium rerum Præfectus ingressus est; aliique interea Patres Rectori certaminis nocturni cum inferno hoste seriem (cujus huc usque nihil intellexerat) exposuere; regressusque præsente adhuc Præfecto ut eum percunctaretur, offendit tam loquendi facultate defectum, ut verbum ab eo nullum posset extorquere.

Eo animadverso, introire in cubiculum omnes, lectum circumsedere de genibus, Deumque Joanni propitiare. Jacebat Joannes supi-

nus sensibus integris nec impeditis, defixis in Crucem, Rosarium et librum oculis, quæ tria ambabus tenebat manibus ita posita in conspectu, ut erectis genibus (ne a visu abessent) sustentaret; cetera clingui ac muto, solus supererat palpebrarum motus. Ad hunc modum quaternis fere horis lectulo spirantis circumadvoluti, Deo animum ejus commendabant, nunc preces repetendo, nunc varios pietatis actus subministrando : quod ille studium nutatione palpebrarum gratum sibi esse indicabat. Gaudebat identidem aqua lustrali aspergi, conatusque Christi imaginem propius admovere, cum a proximis juvaretur, admotam ori religiosissime dissuaviabatur.

Nonnullos ægre habebat, non jam reipsa probari, quod superiore vespera prænuntiaverat futurum, loquentem nempe moriturum se esse, eo maxime, quod cetera ejus dicta fuissent eventis huc usque confirmata. Horum quoque Deus metum sublevavit; nam circa nonam (quintam matutinam), cum levem aliquem labiorum motum P. Franciscus Piccolomini in eo advertisset, rogassetque num quid vellet; ille adnixus quanta poterat vi hæc verba expressit : *Vellem posse loqui.* Subjiciente mox Patre ut mente efferret Jesu nomen, quando voce non posset : ille insigni adhibita contentione, semel, iterum, sæpius explicate

Jesu nomen pronuntiavit, vocemque paulatim cum loquendi usu recepit. P. Rector, qui a sexta ad usque decimam (a secunda ad sextam matutinam) illi adfuerat, animadverso quod expedite jam loqueretur, multique juvando superessent, Joannes, inquit, tempus est operandi sacris. Interea cave ne moriaris, sed exspecta reditum meum. Ille gratum sibi imperium esse indicans, respondit facturum.

Dum Rector rem divinam agit, nequissimus ille mortalium hostis altera Joannem dimicatione sollicitare cœpit; atque ille momento turbatus territusque jactare sese, unoque impetu in has voces erumpere : *Hoc non feci voluntarie, non feci volenter, veniamus domum, veniamus domum.* Præceptor ejus, advertens dæmonis oppugnationem esse, Joannes, ad me attende, inquit, neque aliud quam quod ego præibo, eloquere. Dic, *Credo Domine, Spero Domine, Amo Domine.* Joannes recte quidem ea verba repetebat, sed quasi alio intentus atque animo abstractus, statimque de integro, manu sublata, turbatione atque angustia magna replicare has voces cœpit : *Veniamus domum, non feci volenter, eamus domum.* Tum Pater haud paulo quam antea contentiore vi atque elatiore voce, Joannes, inquit, huc usque semper mihi dicto audiens fuisti, age etiam nunc, ut soles, ausculta, ne ad aliud adverte animum, quam ad verba

mea, neque dicito aliud. Rem miram! subito sanctus adolescens, magistri imperio ad quietem redivit animi, jucundeque explicato vultu, omissis molestis illis perturbationis vocibus, ad exercendos pietatis actus, qui præibantur, se totum accommodavit.

Exploratum nobis non fuit, qua causa aut modo aggressus sit dæmon ad eum oppugnandum; sed indicio verborum illorum, *Veniamus domum*, quantum conjectura assequi licuit, fuerit objectio quædam illi facta, occasione illius juvenis quem nutantem cogitantemque a vocatione recedere, ob insignem, uti diximus, animi dejectionem, Joannes ad perseverantiam stabilivit; unde opinari non injuria possumus, dæmonem, cum nihil in ipsis Joannis moribus vitaque criminandum reperisset, aliunde conquisisse vel materiem vel speciem aliquam criminis fabricati.

Præferebat hoc tempore Joannes voluntatem alicujus rei postulandæ, interrogatusque a magistro quem vellet, respondit, velle R. P. Rectorem. Advocatus quamprimum est Rector, qui Sacro jamjam finito, quantocius accurrit. Reddita adolescenti erat tranquillitas animi, orisque hilaritas, et viso Rectore gestiit, lætus se implesse exspectandi imperium. Tum Litaniam Cælitum eo mense vertentium recitari petiit, quod a magistro ejus factum, Joanne

repetente religiose nomina omnium; ac cum nonnumquam linguæ jam tumefactæ vitio alucinaretur, adnitebatur repetere, donec perfecte protulisset. Alio deinde sacerdote percurrente Litaniam B. Mariæ Virginis, Joannes non solum distincte repetebat singula a sacerdote dicta, verum etiam illa quæ sacerdos ipse aut trajiciebat, aut omittebat dum subinde ad ægri vultum oculos converteret, accurate restituebat, adeo præsens illi aderat animus.

Atque hic illud particulatim notatum fuit, quod etiamsi summa pietate omnia repeteret, jam tamen, quando a sacerdote illa B. Virginis encomia dicebantur, *Sancta Virgo virginum*, *Mater castitatis*, *Regina Virginum*, singularem prodebat affectum, sublato e cervicali capite, et inclinatione facta ad Beatissimam Virginem, oculis piissime in ejus imaginem intentis; clarissimum haud dubie indicium amoris ejus eximii in virgineam puritatem.

Hoc tam religioso apparatu, tot excitatis virtutum actibus, extenuatis paulatim viribus, mane feria sexta, die 13 Augusti anni 1621, dimidia supra duodecimam hora (octava et media matutina), annos natus duos et viginti, menses quinque, oculis in Christi crucifixi imaginem, quam una cum Rosario et libro Regularum manibus tenebat, defixis, pronuntiatis sanctissimis Jesu ac Mariæ nominibus, con-

fecto feliciter suæ peregrinationis curriculo, innocentem animam placidissime reddidit Creatori suo, nobis omnibus, ex tanta vitæ integritate ac sanctimonia, relictis bene vivendi stimulis et consolatione ex morte pretiosa.

CAPUT TERTIUM.

V. Joannis statura et forma. — Supellex ejus pro reliquiis abripitur. — Professores in scholis obitus ejus signo audito lacrimis non temperant et in ejus laudes, lectione intermissa, se effundunt. — Testimonium de Joanne Patris Didaci Seco. — Fama sanctæ ejus mortis per Urbem celebratur. — Cardinalis Bellarminus dolet se morienti Joanni non adfuisse. — Dum exsequiæ celebrantur, magnus fit populi concursus, multaque in reliquias auferunt et defuncti corpus veneratione prosequuntur. — Non tantum vestium sed et corporis ejus partes resecant. — Tumulus ejus visitantium honorantiumque concursu frequentatur. — Donaria ex voto ad tumulum afferunt. — Sanctitatis ejus fama per totam Europam spargitur. — Quibus e rebus Joannis sanctitas colligatur.

Quam primum e vivis migraverat Joannes, corpore de more parato, adeo in nativum colorem rediit, ut vivo similior quam mortuo, spirare placidissimeque dormire videretur; non diu tamen ea species constitit, quin floridus ille oris color in pallorem versus facile ostenderet, priscum formæ decus jam morti in spolium cessisse.

Fuit Joannes statura justa, constitutione sanguinea, præstantissima humorum tempera-

tione, salubri corpore, specie vere Angelica, colore candido et rubore diluto. Ampla illi erat frons, tantaque ciliorum densitas, ut pili palpebræque nigredinem imitarentur. Oculos habebat accerrimos lucidissimosque, sed pudicos, honestate suavitateque plenos, in terram perpetuo demissos; nasum justæ proportionis, aliquantum aquilinum; labia parva, sed rubentia; malas flava lanugine aspersas, eodemque colore capillum. Semper ei quietæ manus, compositæ ante pectus. Incessus neque tardus, neque concitatus, sed moderate gravis. Totius corporis habitus adeo ad modestiam factus, ut obvios obstupefaceret componeretque. Quin multi videndi cupiditate capti, resistebant etiam hærebantque ad eximium illud modestiæ decus intuendum. Ad summam dici potest, tam puro præstantique animo corpus a Deo datum fuisse quod forma aptitudineque cum animi pulchritudine certaret; quodque *ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, forma probitatis,* ut de Deipara Virgine S. Ambrosius loquitur.

Receptum est Societatis moribus, quamprimum quis animum exhalavit, signum dari ære Campano, ut quicumque nostrum audierint, protinus genibus flexis, pro mortuo Deum deprecentur; præterquam quod quilibet ejus loci sacerdos tria faciat Sacra, non sacerdos tria Rosaria persolvat in gratiam vita functi, supra

Sacra illa ac preces, quæ non modo in ea Provincia, sed per universi Ordinis domicilia indicuntur. Statim ac Joannes supremum ediderat spiritum, ædituus id signi fecit; quo audito, incredibile dictu est, quanti exstiterint motus. Accurrerunt quippe in valetudinarium affectu ingenti osculandi manus innocentissimi adolescentis, ejusque se precibus commendandi; ac pro sua quisque religione opinioneque, quam de eximia ejus sanctitate conceperant, singuli aliquid sibi vindicabant earum rerum quibus fuerat usus.

Neque vero tum primum, sed triduo ante mortem, ablatæ ex ejus cubiculo fuerant imagines, quibus prosternere se inter orandum assueverat, flagellum quo se solitus verberare, ceteraque supellex pia. Jam autem ejus indusia, vestes, calcei, reliquæque res pro Reliquiis abripiebantur. Neque id modo agebant collegii juniores alumni, sed gravissimi quoque Patres, ac sacræ theologiæ aliarumque disciplinarum Professores, qui beneficii loco flagitabant, hic Rosarium ejus, ille libellum in quo Patronos menstruos adscripserat; alius partem calceorum, alteriusve alicujus rei, quam ipse vel tactu vel tractatione usurpaverat.

Versabantur eo tempore Scholastici cum Professoribus in schola, cum Joannes e vita migravit, auditoque æris signo, pars maxima tam

chari fratris sodalisque jacturam prosecuta est lacrimis; eo magis quod felicem illius demigrationis exitum spectare non licuisset; intermissa vero lectione, in eas se fortunatæ illius animæ laudes effudere, quas inveterata sanctitatis opinio repente suggerebat. In his unus P. Didacus Seco Lusitanus, creatus deinde Episcopus ut succederet Æthiopico Patriarchæ, quo in itinere decessit (1), cum de suggestu id temporis theologiam explicaret, audito signo tacitus restitit, oculisque lacrimarum plenis, doloris sui causam auditoribus indicavit; iisque Joannem laudibus extulit, quas deinde, Roma discessurus in Æthiopiam, hoc illi testimonio tribuit :

« Ego Didacus Seco sacerdos Professus Societatis Jesu, testor familiariter me egisse in » Collegio Romano ejusdem Societatis, cum » Fratre Joanne Berchmans, Belga natione, » Scholastico eximiæ vitæ innocentiæ, animi » candoris et morum suavitatis. Propter quas » dotes sæpe dixi illum esse verum Servum et » Filium B. Virginis, cujus ardentissima devo- » tione flagrabat, sæpe etiam cum extremo vitæ » suæ tempore mihi sacrificanti ministraret, » scrupulum injecit, quod indigne et indevote » divinum tractarem Sacramentum, illo mini- » strante quem puritate animi ac reliquis virtu-

(1) Cfr. Ant. Franco : *Synopsis Annal. S. J. in Lusitania*, ad ann. 1625; et Cordara : *Hist. S. J. Pars sexta* p. 591 et 605.

» tibus Deo charissimum esse sciebam. Cum in
» ultimum morbum incidit, etiamsi leviter ja-
» claretur prope festum Assumptionis B. Virgi-
» nis, ex opinione quam de ipsius sanctitate
» conceptam habebam, dixi Rev. P. Marco Van
» Doorne, modo Gandavensi Rectori, tunc
» temporis mecum librorum censori in Collegio
» Romano, illum probabiliter moriturum, non
» morbi vi, sed quia tam fidum, purum ac di-
» lectum Matris suæ Servum Deus in cælum ad
» illam recipere vellet. Post ejus felicissimum
» obitum tres Missas, quas pro defunctis in
» eadem domo sacerdotes Societatis dicere
» tenentur, ego de Beatissima Virgine in gra-
» tiarum actionem Deo obtuli, quod talem et
» tam innocentem Servum illi in cælo conces-
» sisset. Nec enim mihi persuadere potui, sine
» offensione divinarum promissionum posse
» me orationes et Sacrificia Deo offerre pro
» illius anima, in cujus innocenti vita, tam
» felici morte consummata, nihil unquam vide-
» ram, quod non secundum divinas aut nostra
» Religionis leges esset. Nec minus apud me
» certum est illum magna in cælo gloria a Deo
» donatum esse, quam si propriis oculis ibi
» eum vidissem. Si per singulas ejus virtutes
» discurrerem, multa possem de eo testari,
» quem in omnibus spectatissime floruisse ju-
» dico. Hæc tamen pauca ad Dei gloriam, lau-

» dem tam sancti et innocentis fratris nostri » et Societatis filii, et nostrorum omnium » exemplum sub verbo sacerdotis mihi affir- » mare visum est. In Collegio Romano die » 17 Novembris 1622. »

Pares in eum laudes contulere Patres ceteri ac Professores; quorum dictis accensi adolescentes, ad videndum venerandumque tam insignem Dei servum, dimissis scholis in collegium accurrentes, admitti non potuerunt; atque ut hi fere millia duo conficiunt auditorum, domum quisque suam reversi, vulgarunt scilicet, sanctum Patrem quemdam in collegio e vivis excessisse, Præceptorum suorum dicta celebrantes. Ita fama et Joannis nomen urbem late pervagata sunt; doluerunt que viri multi illustres, neque prius se de illo inaudisse, neque ægrum eaque sanctimonia clarum invisisse. In his Cardinalis Bellarminus, vir eximiæ sanctitatis eruditionisque laude inter omnes notus, qui audita ejus morte, tantarumque virtutum ornamentis, cum lacrimis deploravit neque vivo familiarius se fuisse usum, neque ægri invaletudinem cognovisse, neque per morbum visitasse ut ejus orationibus se commendaret.

Rector, cognito quid in scholis evenisset, ut quantum ratione fieri poterat, rebus omnibus provideret, collegii consultoribus aliisque gravioribus Patribus in concilium vocatis, sen-

tentias rogavit singulorum, quid circa corpus faciendum censerent. Una omnium vox fuit, primum ut facies ejus a pictore aliquo depingeretur, quod cœptum minus e sententia successit; deinde ut loculo separato contumularetur, quo ossa ejus, nullis alienis permixta, internoscerentur, si Deus forte prodigiis eum a morte celebraret; denique, ut quo tempore exsequiales preces in Templo adhiberentur sepulturæ, Patres quaterni feretrum circumstarent, ad intempestivam populi religionem coercendam, si forte ad corpus propius perrumperent: quæ omnia ad amussim facta sunt. Corpus in Templum illatum est, feretroque impositum, portis eousque clausis, dum cærimoniæ inchoarentur. Interea e Professorum Domo, e Tirocinio et undequaque multi accurrere Patres aliique, qui Rosaria corpori applicabant et corpus osculabantur; admissis vero alia porta turmatim externis, brevi flosculi omnes (qui corpori erant aspersi) fuere discerpti. Ablatum ei est parvum Crucis sigillum, quod cum Rosario manu tenebat, dein pileus et crepidæ; sæpius vero Rosarium in manibus ejus commutatum, novumque semper ab iis qui prius auferebant, substitutum.

Funebres preces præivit P. Busæus Assistens Germaniæ, superpellicio ac stola indutus, ministrantibus condiscipulis Joannis. Rebus

omnibus apparatis, reseratæ sunt Templi fores ingensque irrupit multitudo. Summa initio quies fuit; at mox, ubi externi deosculari manus cœperunt corpusque Rosariis attingere, jam nec secandis vestibus temperarunt; tantusque exstitit repente comprimentium impetus, ut non modo quaterni Patres obruerentur, sed neque deni resisterent violentiæ populari.

Convenerant omnis ordinis conditionisque homines, Religiosi varii præcipuarum etiam Familiarum, qui venerabundi mortuo manus dissuaviabantur, Coronisque precariis contingebant, ac Reliquiarum nomine particulam aliquam vestium modeste flagitabant, dicentes videri sibi vel ex ore mortui splendorem quemdam sanctitatis etiamnum elucere.

Precum cærimoniis finitis, in sacrarium necessario corpus deferendum fuit, quod spoliantium religio nudum prope reliquerat; atque hic non nostri modo, sed et præcipuæ dignitatis viri qui confertæ illi multitudini cesserant, veneratione illud prosequebantur. Nonnulli ingentem Rosariorum numerum ad attingendum attulerant, quidam annulos ad induendum digitis; alii strophiola ad faciem admovebant; quin tanta fuit venerantium multitudo, ut sæpius corpus in Templum efferre denuo coegerint clarissimorum virorum vota.

Cum vero increbuisset fama, eo vespere sepul-

tum iri, nonnulli dignitatibus illustres oratum misere, ut in sequentem diem sepultura differretur, quod videndi ejus desiderio maximo tenerentur. Id quod, cum ne aliter quidem fieri posset, ex more ecclesiastici ritus definientis diem totum mortuo dari insepulto (Joannes autem ab horis solum duodenis vivus esse desierat), eorum simul precibus condonatum est. Noctu digressis omnibus, sacerdos ecclesiæ præfectus, ficto prius e gypso forma capitis, corpus dissecari fecit, in quo nullum recentis morbi deprehensum vestigium, præter exiguam aliquam pulmonis lienisque inflammationem. Romam quippe ut e Belgio primum venit, corpore erat lactis succique pleno; at mox Romæ asperitatum frequentatione, perfecta domestici ordinis observatione, assiduis animi exercitationibus, scientiarum virtutumque studio adeo macie extabuit, ut priscam sui similitudinem vix referret, neque pingue quidquam corpusculo ejus inhæreret; quinimo omentum ipsum, quo intestina continentur, quod adipe plenum vulgo esse solet, in eo repertum grandi macie torridum : quo colligebant anatomices periti, victurum eum diu non fuisse. Cor autem, cum multo abundaret sanguine argueretque indole fuisse sanguinea, id quoque virtuti ejus tribuendum est, quod ab iis vitiis propensionibusque abfuerit longissime, quæ hujusmodi fere con-

stitutionis hominibus adhærescere consueverunt.

Extractum est cor, servatum, ac post menses aliquot in Belgium asportatum, ubi venerationi habetur in Collegio Lovaniensi (1). Præfecto ecclesiæ cupido incessit explorandi an placidissima illa suavitas, mansuetudoque Joannis, ex ipso corporis habitu nasceretur. Quæsito ergo per chirurgum felle, folliculus ejus tam inanis repertus est, ut nec fellis indicium ullum superesset; quo nempe carere columbam hanc felicissimam decebat. Fuit denuo indutus vestibus, loculoque impositus; ac sequenti die (qui sabbatinus erat, pervigilium Virginis Assumptæ) tanti, præter ceteros, honoratissimorum hominum, Episcoporum, Præsulum, optimatum, illustriumque matronarum conventus ad videndum facti sunt, ut ante vesperum terræ mandari non permiscrit eorum pietas ac religio singularis; ac tum deprehensum ei iterum resectas fuisse, non solum vestium partes, sed ungues etiam et capillos, unumque digitum pedis, cum singuli in discessu aliquid ei auferre Reliquiarum loco conarentur. Denique ut Sabbato natus, ita Sabbati vespera ligneo loculo impositus, inscriptione plumbeæ laminæ incisa, ejusdem præfecti ecclesiæ manibus recenti

(1) Huic Collegio post restitutam Societatem redditum est, ibique etiamnum religiose servatur.

sepulcro in Sacello Beati Aloysii, in quo ad eum diem nemo conditus erat, tumulatus fuit; exinde in alterum commune sepulcrum translatus est ad Sacellum sanctæ Crucis, in quo annos olim aliquot jacuerat B. Aloysii corpus.

Protinus accensa est multorum pietas ad invocandam ejus in rebus adversis opem, cœpitque visitantium honorantiumque concursu tumulus frequentari; ac mane quotidie a viris matronisque religiosis, floribus et herbis odoriferis aspergebatur. Fuere initio viri illustrissimi, qui super sepulcro ejus genibus nixi orabant, saxumque reverenter exosculati, aliquid sibi Reliquiarum ejus exposcebant; alii pro exoratis beneficiis donaria ex voto adferebant, aut e Sacelli parietibus suspendebant, aut imponebant sepulcro, nec raro cereos honori illius accendebant. Neque ab exteris magis quam ab ipsis domesticis, diu noctuque obsessum est ejus monumentum. Hoc ipso autem tempore quo hæc scribo, mirifice crevit cum Romæ erga eum devotio, tum apud Transalpinos; partim præconio eorum qui hinc discessere, partim Reliquiis ejus ad varia loca missis, imaginibusque ejus sæpius recusis, quæ in veneratione sunt. Jam vero latissime innocentiæ et sanctitatis ejus fama percrebuit per Europam, multique ad eum in orationibus confugiunt (1).

(1) De his amplius constabit ex Appendice huic editioni adjecta.

Prætermitto hic de industria prædictiones, quas de morte sua edidit; visa, in quibus post mortem non paucis vario locorum intervallo apparuit; miracula beneficiaque, quæ exsequiarum ejus die, ac postea, cum Romæ tum in aliis Italiæ aliarumque Provinciarum urbibus a Deo præstita sunt, ostendendæ apud homines gloriæ, qua inter cælites jam potitur : etiamsi forte et numero et genere majora ea sint, quam aliquis opinetur. At quoniam eorum multa juratis jam testimoniis confirmata sunt Romæ, jussu Gregorii XV, aliaque præterea diversis in locis conquiruntur, satius, quando ea probata fuerint Apostolicæ Sedis auctoritate, simul omnia vulgabuntur; maxime ex quo sic fieri placuit Pontifici Maximo Christi Vicario (1),

(1) Nempe Urbano VIII, ex decreto anni 1625, quod annis 1631 et 1634 ab eodem declaratum et confirmatum est. Hanc Vitam edebat P. Cepari anno 1627, ut jam supra notatum.

Ex iisdem decretis nequeunt introduci causæ Servorum Dei, nisi elapsi fuerint anni 50 ab eorum obitu. Parari itaque poterat introductio causæ Ven. Joannis ab anno 1671, sed paucis post annis editum est decretum Innocentii XI, de quo supra est dictum (p. 212; cfr. *Novissima Positio* etc., part. 3, p. 6 sqq.), causaque derelinqui debuit usque ad tempora Benedicti XIV. Anno itaque 1741, vel sequenti, examinari cœperunt processus ordinarii, novique de recentibus miraculis confecti sunt, et scripta V. Servi Dei Romæ et in Belgio conquisita; quibus omnibus examinatis, licet ex decretis Innocentii XI, non nisi post decem annos a die præsentationis processuum commissio signari consueverit, hac super re dispensatione facta, Benedictus XIV eam propria manu signavit die 11 Septembris anni 1745 (*Noviss. Positio*, part. 1, p. 3).

cujus publico decreto in posterum vetitum est, historias ullas de viris opinione sanctitatis claris, nisi ea lege conscribi. Atque ejus sane vo-

Introducta causa, confecti sunt deinceps processus Apostolici de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere, ac de virtutibus et miraculis in specie, causaque per consueta examina progrediebatur, donec suppressa Societate et Cardinali Albani ultimo Relatore demortuo, diu iterum quiescere debuit. Anno demum 1830 Pius VIII Eminentissimum Pedicinum Relatorem renuntiavit (*Ibid.* p. 8) et exinde promoto examine virtutum, latum est super iisdem decretum die 5 Junii anni 1843, quo declaratur ita eas probari in gradu heroico, ut tuto possit procedi ad discussionem miraculorum. Proposita nunc sunt examini sacræ rituum Congregationis miracula quatuor, quæ cum aliis plurimis compendio narrabuntur in Appendice quartæ parti hujus Vitæ subjicienda.

Non videtur autem abs re fore, si hic universam seriem actorum in causis Beatificationis et Canonizationis, omissis illis quæ supra sunt exposita, breviter exhibeamus, ut appareat quid in causa Ven. Joannis præstitum ac in posterum præstandum sit, si Divina Bonitas piis votis annuat, tum etiam quid in hujusmodi causis universim requiratur. Hæc ad ecclesiasticam eruditionem, et quæ de virtutibus sunt dicenda, forte etiam ad profectum spiritualem non erunt inutilia. Omnia autem ex præstantissimo Benedicti XIV opere (ut superius jam factum) iterum desumimus, ut tantum ducem secuti, ne vel in minimo a vero deflectamus.

1. *Dubia* itaque præcipua quæ in causis Beatificationis et Canonizationis agitantur, sunt 1° de signanda commissione introductionis; 2° de virtutibus in gradu heroico, in causis nempe Confessorum, cui æquivalet Dubium de martyrio in causis Martyrum: in his autem inquiritur tam ex parte tyranni cur mortem infligi jusserit, quam ex parte Martyris cur et quomodo eam obierit; 3° de miraculis, quod etiam in causis Martyrum proponitur, sed in his simul cum præcedenti; 4° de progressu ad Beatificationem. Et post Beatificationem, signata commissione reassumptionis, 5° de miraculis post Beatificationem patratis; 6° de progressu ad Canonizationem. Bened. XIV loc. cit. *l.* 1 *c.* 22

luntati ab omnibus parendum promptissime est. Quamquam apud me nihilo magis miracula qualiacumque valere possunt ad probandum

sqq. et l. 2 *c.* 13 *n.* 1. — De Introductione causæ supra est dictum p. 213. sqq,

2. Cultus publicus in Ecclesia non competit omnibus in cælum receptis, sed iis tantum Beatis, qui virtutibus heroicis et miraculis floruerunt. *l.* 2 *c.* 9 *n.* 11. *Virtutis* excellentia seu *heroicitas* ab operis arduitate, ut plurimum oritur et ex circumstantiis dijudicanda est; non probatur autem nisi actus heroici multiplices fuerint, ac prompte, facile et delectabiliter eliciti : ad hoc debet probabilius annexum habere aliquod ex donis Spiritus Sancti. *l.* 3 *c.* 21 *n.* 11 *et c.* 22 *n.* 1. Beatificandus et Canonizandus ornatus esse debet virtutibus perfectis et de omnibus inquiri debet, non ita tamen ut Dei Servus debuerit in omnibus heroice se exercere, sed sufficit ut Heros fuerit in Fide, in Spe et maxime in Charitate, tum etiam in iis virtutibus moralibus, in quibus juxta suum statum exercere se potuit, cum præparatione animi ad ita se gerendum in aliis, si occasio esset oblata. Martyrum heroicitas vel in sola morte, Confessorum in tota vita consistit. *Ib. c.* 21 *n.* 15 *et* 8.

3. *Beatificatio* est permissio ut Dei Servus in aliquo ut plurimum determinato loco, seu in aliqua provincia, diœcesi, civitate aut religiosa familia publice colatur sub appellatione Beati. Alia est formalis, alia æquipollens; prior per Dubia superius enumerata procedit, in posteriori Pontifex, admissa fama virtutum aut martyrii et miraculorum, confirmat sententiam Ordinarii vel Delegati, approbantem cultus per tempus immemorabile, aut ex indultis apostolicis præstitum. Obtinuit Beatificatio æquipollens in causis BB. Nicolai de Flue, Nicolai Albergati, Claræ de Montefalco etc. *l.* 1 *c.* 31 *n.* 4 *sqq. et c.* 42 *n.* 8. In cultu Beatorum non licet excedere limites verbales Brevium aut Indultorum, et si hæc desint, ille cultus exhiberi potest, quem ab immemorabili tempore, sciente Ordinario, obtinuerunt. *Ib. c.* 37 *n.* 8 *et* 13. Beatificatio sola antiquitus in usu erat, eaque perficiebatur, cum Episcopi in suis diœcesibus alicui Dei Servo publicum cultum jure suo decernebant, quæ etiam particularis Canonizatio

mihi Angeli hujus innocentiam, atque ista cogitatio, qua recordor, quantos ipse viderim animorum motus, quos fructus, quos effectus

ab aliquibus dicitur, et accedente Ecclesiæ universalis ac Summi Pontificis assensu vera erat Canonizatio. Hæc beatificandi auctoritas nunc soli Summo Pontifici est reservata. *l.* 1 *c.* 6 *n.* 9 *et c.* 11.

4. *Canonizatio* est sententia Summi Pontificis ultimo definitiva, qua Beatus inter Sanctos refertur et in universa Ecclesia coli præcipitur; et per hanc sententiam a Beatificatione differt. Beatificatio est actus præcedens et præparatorius, et cultus restricti permissionem importat; Canonizatio est actus præparatus et extremus, et cultum ad universam Ecclesiam extendit et præcipit. *l.* 1 *c.* 59 *n.* 5, 6, 14. Canonizationem edito decreto de tuto ad eam progressu, Pontifex decernere non consuevit, nisi novæ populorum et principum petitiones exhibeantur, et temporum adsit opportunitas. *Ib. c.* 54 *n.* 1. Canonizatio, non secus ac Beatificatio, aliquando est æquipollens, quando judiciali forma et consuetis cærimoniis omissis, Pontifex aliquem in universa Ecclesia coli præcipit. Canonizati sunt æquipollenter SS. Romualdus, Norbertus, Bruno, Gregorius VII, Gertrudis Islebiensis etc. *Ib. c.* 41 *n.* 1 *sqq.*

5. Pro Beatificatione formali duo *miracula* requiruntur et sufficiunt, tam in causis Martyrum quam Confessorum, et alia duo postea supervenientia pro Canonizatione *l.* 1 *c.* 22 *n.* 10 *et c.* 26 *n.* 1, Si tamen in probatione virtutum aut martyrii, testes de visu reperti sint tantum in processu ordinario, et in apostolico testes nec fuerint de visu, nec de auditu a videntibus, sed solum de auditu auditus, tria vel quatuor miracula requiruntur, pro gradu probationis. Si testes de visu in utroque processu desint, quatuor miracula requiruntur, itemque pro transitu a Beatificatione æquipollenti ad Canonizationem. Miracula autem semper ex testibus de visu sunt probanda, cum nova miracula, inquit Benedictus XIV, testibus de visu plene comprobata, possint quotidie, si Deus voluerit, supervenire. *l.* 3 *c.* 3 *n.* 25 *et decret.* 17 *Julii* 1754 *tom.* 6 *edit. Venetæ p.* 215. Miraculum vel quoad facti substantiam, vel quoad subjectum, vel quoad modum debet

per mortem opinionemque sanctimoniæ ejus excitatos in animis Patrum Fratrumque Collegii Romani, et Transalpinorum ac maxime Belgarum; quantum denique ejus mors et erga eum devotio contulerint ad bonum spirituale scholarium externorum.

Quicumque certe huc oculos adverterit, quam multi vitæ mortisque illius exemplo permoti vivendi rationem mutarint, resectisque defectibus, quibus a vitæ perfectioris cursu retardabantur, tota se animi contentione ad sanctum orationis exercitium, ad voluntarias afflictiones, ad sui custodiam, ad perfectam observantiam religiosam, ad assiduam cælestium rerum in colloquiis tractationem, ad ferventiorem denique animarum Deo lucrandarum occupationem contulere, haud alia desiderabit miracula, ut credat Joannem fuisse juvenem omni virtutum genere florentem, Deoque in primis charum. Qui intellexerit quantum Joannes castitatis suæ exemplo valuerit, ad servandam pudicitiam atque honestatem eorum adolescentum qui collegii nostri scholas frequentant; quam multis illi se sentiant illecebris oppugnationibusque, eo invocato, liberari; quantus eorum sit numerus, qui illius imita-

naturæ vires excedere. Miracula tertii generis pro omnibus causis sufficiunt, nec Sedes Apostolica aliquod primi aut secundi generis miraculum pro Canonizationibus unquam exegit. *l.* 1 *c.* 26 *n.* 1 *et c.* 28 *n.* 12; *l.* 4 *p.* 1 *c.* 1 *n.* 7 *sq.*

tione statuerunt, desertis sæculi vanitatibus, ad Religiosas familias convolare, necesse est vel nullis aliis miraculis allatis exclamet : *Digitus Dei est hic.* Sed ut nullius tamen generis approbatio huic Dei servo et B. Virginis filio abesset, visum præterea Deo est visionibus, apparitionibus, revelationibusque indicare gloriam quam ei inter cælites contulit, ut olim constabit, quando typis vulgabuntur excusa (1).

Hæc pars aliqua est earum rerum, quas de vita morteque Joannis Berchmans assequi valui, testimoniis hominum fide dignorum. Dignetur Deus nobis gratiam largiri, ut et vivum ejus ope imitemur, et mortuum in æternam gloriam subsequamur! Amen

(1) Vide Appendicem.

PARS QUARTA

VITÆ

V. JOANNIS BERCHMANS.

EGREGIUM TESTIMONIUM

P. CORNELII CORNELII A LAPIDE DE V. JOANNE (1).

« Animadverti in nostro Joanne Berchmans » virgineam verecundiam, candorem, modestiam, taciturnitatem, innocentiam, puritatem. Sæpius audivi a nostris, mirari se, si major in Beato Aloysio fuerit, necdum videre se, quid Joannis addi possit. Humilitate fuit insigni, qua cuique cedebat, omnibus autem Coadjutoribus prior caput aperiebat, etiamsi subinde illi non adverterent, nec eum resalutarent. Omnes reverebatur, non tantum Superiores, sed et alios quoslibet, præsertim sacerdotes. Mihi non semel contigit, ut dum in hieme frigoris causa in aula vehementius inambularet, egoque per illam transirem, gressum inhiberet illico, caput aperiret, immotus vultu demisso consisteret, donec pertransissem.

» A Præceptore ejus frequenter audivi,

(1) Vide supra p. 77.

» ipsum ei singulis mensibus schedulam oratio-
» num, et pœnitentiarum pro eo gratitudinis
» ergo obeundarum, obtulisse. Comitate et
» suavitate omnibus erat charus; nunquam
» audivi qui de eo quereretur, vel defectum
» quempiam notaret, ut maturus jam cælo
» videretur. Consummatus enim in brevi,
» explevit tempora multa. Vultu semper erat
» læto et hilari, sermone candido, incessu ve-
» loci, sed non incitato. Denique mores et
» actus ejus Angelici potius videbantur, quam
» humani.

» Lampades concinnabat mira sedulitate,
» eadem crebro serviebat in culina. Charitatem
» ejus deprædicant Coadjutores et infirmi :
» singulos adjuvabat, consolabatur, omnibus
» obsequebatur et serviebat, fervebat enim
» spiritu; obedientiæ et observantiæ Regula-
» rum valde fuit studiosus. Missus subinde ad
» me, pulsans cameram, cum a me audiret,
» Ingredere, consistebat tacitus; mox iterabat
» pulsum secundo et tertio, donec consurge-
» rem, et ad januam accederem, eo quod
» diceret, se illa vice veniam ingrediendi
» cubiculum meum non petiisse.

» Crebro obibat pœnitentias et mortifica-
» tiones, tum privatas, tum publicas in Refe-
» ctorio, uti sæpe vidimus. Orationi multum
» vacabat, semperque in præsentia Dei versari

» videbatur, et idcirco singula exacte et per-
» fecte faciebat, ut etiam in minimis præ aliis
» resplenderet ejus decor et virtus; filius
» gratiarum videbatur. Diligentiæ ejus et
» studio illustre testimonium dat Præceptor,
» ut veri scholaris Societatis Jesu Collegio
» Romano exemplar exhibuerit : quod utinam
» omnes imitarentur! sane in eo, uti stella in
» cælo emicuit.

» A prandio et cœna sæpe mecum collocu-
» tus, in Domino me recreavit, cum nonnisi
» religiosa et spiritualia, præsertim quæ ad
» institutum nostrum, cujus erat zelator, spe-
» ctant, narraret. Sane paulo ante mortem me-
» cum visitans S. Paulum ad tres Fontes, toto
» itinere non aliud tractavit; ubi et insigne
» dedit specimen obedientiæ et modestiæ. Cum
» enim cuperem pergere ad Sanctum Sebastia-
» num, ideoque præcederem, ut eum pellice-
» rem ad sequendum, illic ante Templum re-
» stitit aperto capite, verecunde, demissis
» oculis; in regressu rogavi causam; respondit
» magna demissione : Pater mi, non veniemus
» tempori ad mensam, nisi eo itinere, quo
» venimus, regrediamur. Regressus, cum mox
» a prandio domum redire me velle putaret,
» dixit : Reverentia vestra poterit cum alio
» socio redire, ego enim veniam redeundi non
» habeo; quare ejus causa usque ad vesperam
» in vinea mansi.

» In colloquiis si quid diversum ab eo sentirem, tacebat, audiebat, acquiescebat. Eximius fuit cultor B. Virginis, cujus se filium vocabat. In morte, licet canendi imperitus, belle cecinit, *Monstra te esse matrem*, etc. Uni e nostris concionatori (1) petenti monitum salutis, hoc me audiente dedit : *Reverentia vestra semper tueatur Immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis usque ad mortem.* Inventa est ejus sanguine subscripta schedula, in qua illam se semper defensurum jurejurando confirmat. De ejus puritate et immunitate a peccato mortali per omnem vitam, et a veniali deliberato in Religione, et a motibus carnis, audivi cum aliis publice asserentem ejus Præceptorem in Oratione funebri.

» Moriturus, nullum mœroris aut passionis alterius dedit signum, uti nec alias ullum tale in eo notavi, resignatus, patiens, serenus, hilaris, uti in vita. Paulo antequam sumeret Viaticum, secreto rogatus a me, num quid haberet quod angeret vel affligeret animum; expansis manibus, et experrecta fronte, ridens asseruit : *Nihil omnino.* Solus deinde cum solo collocutus, cum ardoribus æstuaret, poposcit aquam ad abluendum os et manus : præbui cum pelvi, rogavique num febri urgeretur; affirmavit, sed ita ut

(1) P. Copponi.

» nullum gemitum, nullum doloris daret in-
» dicium.

» Sumpsit deinde syrupum, ac mox petiit
» a me, ut Gratias recitarem, quasi cœnam
» sumpsisset. Recitavi, illo attento et respon-
» dente; mox pie collocuti, cum ei ingererem :
» *Jesus meus, amor meus, et omnia;* hilarescens,
» *Ita, ita*, inquit, *Jesus centrum cordis, Deus*
» *cordis et pars mea Deus in æternum.* Et inge-
» minabat illud, quod a Rev. P. Rectore audi-
» verat : *Puer meus noli timere, quia ego tecum*
» *sum, dicit Dominus. Si transieris per ignem,*
» *flamma non nocebit tibi, et odor ignis non erit*
» *in te; liberabo te de manu pessimorum, et*
» *eruam te de manu fortium.* Petii, num quid a
» me cuperet; respondit se petere ut postridie
» pro se Sacrum dicerem. Dixi, et non obtinui
» quod ego, scilicet ejus sanitatem, sed quod
» ipse cupiebat, nimirum dissolvi et esse cum
» Christo; nam sub finem Sacri animam Deo
» reddidit. Rursum, Ora pro me, inquit, Pa-
» ter, ut non capiat me nausea dulcium, quæ
» mihi exhibent; voti fuit compos, nam paulo
» post ad extrema devenit.

» Morituro se sigillatim commendarunt no-
» stri, petentes monitum aliquod; quod cuique
» dedit tam apposite, ut nonnulli dixerint, non
» potuisse magis appositum dari, etiamsi con-
» scientiæ secreta penetrasset. Tantus fuit

» externorum ad funus concursus, ut custodes
» apponi oportuerit; et tamen rapuerunt pi-
» leum, crepidas, crucem, Rosarium, vestem,
» etc. Videbar mihi videre concursum Romæ
» ad funus Sancti Alexii. Multi etiamnum pe-
» tunt ejus Reliquias, ac non pauci fatentur
» se per eas beneficia cælitus consecutos. Ve-
» rum pluris apud me est suavis pietatis affe-
» ctus, qui post ejus mortem totum Collegium
» pervasit, quasi ejus meritis a Deo afflatus.

» Ego difficilis sum ad lacrimas, et tamen
» ejus in Templo vultum intuens, eas cohibere
» non potui, ideoque ab eo vultum averti, ut
» Officium Defunctorum prosequi possem. Cre-
» bro menti meæ obversatur. Videor per diem
» æque ac noctem eum coram intueri, nec
» horresco, sed potius ad lætitiam spiritualem,
» et ad alacrius Deo serviendum accendor.
» Nequeo in animum inducere, ut pro defuncto
» orem, sed opto ut ipse pro me oret, utque
» anima mea sit cum anima illius. Vivat anima
» mea vita et moriatur morte Joannis. Multi
» colloquiis de eo satiari non possunt. Det Deus,
» ut divina in nobis ejus restet memoria, quam
» intueamur et æmulemur. Juvenis fuit ætate,
» sed virtute vir, constans semperque sui si-
» milis, exactus, non scrupulosus, hilaris,
» non dissolutus, sed hilaritatem religiosa ma-
» turitate temperans.

» Tempus adeo habebat in pretio, ut nunquam esset otiosus, semper occupatus, semper serius. Recreationem, licet peramœnam et piam, mecum abrumpebat, et antependio instar Coadjutoris se præcingens, lucernas suas adornabat, ne quod tempus studiis adimeret. Risus ejus modicus sine cachinnis, sales sine dente, gratia sine affectatione. Præstabat illud Apostoli : *Omnis sermo vester in gratia, sale sit conditus.* Non memini ab ore ejus me audivisse verbum otiosum, multo minus quod defectum cujusquam tangeret. De omnibus bene sentiebat, et honorifice loquebatur; nunquam vidi tristem, nunquam iratum, nec tamen in actione erat lentus aut remissus, sed acer et expeditus. Philosophiam totam publice magna cum doctrinæ et modestiæ laude defendit. Sanctos mire venerabatur, varios ex eis delegerat Patronos, quos alternis hebdomadis variabat; catalogum eorum et ordinem aliquando mihi recitavit.

» Affectus peculiares erga aliquos non habebat, idem et communis erat ejus in omnes amor. In recreatione primo occurrenti se jungebat, eamque crebro et libens peragebat cum Coadjutoribus, qui ejus spiritum depræ-dicant. Magna animo destinabat. Optabat vivere et mori in castris, adjuvando milites pro Fide certantes, quasi miles imo antesi-

» gnanus Christi. Mortem suam prædixit, luctamque in ea, quam generose sustinuit et superavit; ac deinde recuperata loquela, quam amiserat, lætus suspirans ad cælum, placide pieque obdormivit in Domino. Humi deponi voluit, ibique sacram Synaxim sumpsit, præmisso juramento se velle vivere et mori in Fide orthodoxa, in Societate, etc. Regulas Societatis poposcit, dicens, se nunquam ullam deliberate transgressum esse. Crucem manu gestabat; cum id non posset, alius illam ei præferebat, et quocumque ipse eam inflecteret, oculis animoque sequebatur.

» Nonnulli viri graves ad scholas vel ad Templum ventitabant, tantum ut ejus modestia et pietate se pascerent. Mihi ordinarie e scholis descendenti hilari vultu occurrens, lætitiam adspirabat, et etiamnum sua imagine mihi obversante magisque suis apud Deum meritis et precibus adspirat. Denique mihi aliisque juge exstitit virtutum speculum et stimulus. Utinam in ultimo et magno mundi die cum illo ad gloriam resurgere, atque coram throno Dei et Agni, inter illius calcaneum caput levare merear! Amen.

Cornelius Cornelii a Lapide. »

COLLECTIO

VARIARUM RERUM SPIRITUALIUM

A VEN. JOANNE

AD SUI UTILITATEM LATINE CONSCRIPTARUM,

QUÆ USUI ESSE POSSUNT ETIAM ALIIS.

ORATIO QUAM SOLITUS ERAT RECITARE JOANNES, ET VOCABAT EAM ORATIONEM SODALITATIS (1).

Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego N. te hodie in Dominam, Patronam, Advocatam eligo, firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permissurum ut a meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.

(1) Legitur hæc oratio initio *Libelli Sodalitatis* P. Francisci Costeri, Antverpiæ anno 1586 et deinceps multoties ac variis linguis editi.

DIARIUM, QUOD SIBI JOANNES IN NOVITIATU COLLEGIT, AC SERVANDUM CONSCRIPSIT IN BELGIO.

Post Crucis signum, primo cum magno affectu Christum Dominum in cruce cruentum in brachiis meis fingam, et supra me B. Trinitatem; tum cogitabo : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo;* tum Deo Patri offeram Filium in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, et nominatim, quod me hac nocte a peccato et morte subitanea servarit, et jam iterum concedat mihi gerere vestem Societatis; petam perseverantiam per B. Virginem, Angelum, B. Patrem, Patronum menstruum, et omnes Sanctos, etc. In fine *Pater, Ave,* tria oscula terræ, *Credo, Anima Christi.*

Ante opus. Intentio : O Deus meus et omnia, cui omnes creaturæ serviunt, gratias ago divinæ bonitati tuæ, quod me usque in hanc horam conservare dignatus sis; et propono per gratiam tuam hoc opus, et omnes reliquas hujus diei et totius vitæ actiones facere ad nominis solius tui gloriam, ut tibi maxime placeam, et B. Virginem, Patronosque meos, Angelumque Custodem lætificem, et nominatim illum quem hodie colo : et protestor me nullam præter hanc actionem, ab hostibus suggestam admittere tentationem.

Post opus. O Beata Trinitas, offero divinæ

Majestati tuæ hoc opus, ultimum forte, coram curia tua, nunc cum lacrimis Christi, nunc cum doloribus, nunc cum vulnere dexteri lateris, nunc cum vinculis, nunc cum meritis B. Virginis, cum sanguine Martyrum nostræ Societatis, cum charitate, laudibus Angelorum.

Meditatio secundum Additiones B. Patris nostri.

Ante exhortationem, vel lectionem spiritualem. Pura intentio, et sequens oratio : Aperi Domine aures et oculos, etc. *Post eam* : Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, scio hanc esse voluntatem tuam.

Recollectio horaria. O crux, etc. tu ave. O bone Jesu, tu pro me flagellatus es, quid retribuam tibi pro tantis doloribus? Fecine mea pura intentione, in præsentia Dei, et frequenter? — De examine particulari. — Ignosce Domine, et adjuva me, ut melius sequentem horam possim transigere ; quod faciam sic et sic.

Examen. — *Ad pulsum.* Quis stabit. Ne intres, etc. *In loco.* Coram Deo me statuam, Angelo et diabolo, judicandum quasi, etc. Reliqua more solito. *Post examen.* Proponam Diarium servare, puram intentionem, præsentiam Dei, et proposita meditationis.

Ad mensam. Intentio, attentio Regularum de victu B. Patris.

Recreatio. Pura intentio, propositum loquendi in præsentia Dei de piis rebus. *Post :* Petitio veniæ de defectibus, et oblatio.

Modus incumbendi post examen. Dispositio meditationis brevis, tum flexis genibus recitare catalogum beneficiorum, cum Symbolo, formula votorum. — Exuendo me, honestas servanda, cum consideratione brevi detractarum vestium ante crucem. — Aperiendo lectum et ascendendo : En vitæ incertus et æternæ salutis, intro sepulcrum. Utinam te nunquam offendissem! Doleo ex animo, Redemptor mi, et propono sinceram emendationem. O Pater æterne offero tibi Filium tuum cum omnibus doloribus et vulneribus ejus pro omnibus peccatis et negligentiis meis. O Beata Virgo adjuva me, o vos omnes Sancti Patroni, suscipite me. Angele mi, custodi me ab omni peccato et insidiis diaboli, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. — Tum per Ave de hora surgendi cogitabo, obdormiam autem in consideratione meditationis.

Communio. Compositio loci. Statue te cum omnibus Patronis, Angelis, etc. in monte Calvariæ, et vide Christum Dominum bajulantem crucem suam sanguineam, etc. et a Judæis impelli, supra te Deum Patrem iratum; considera usque ad Elevationem, quid ibi agatur. Deponit crucem, offertur myrrha ad bi-

bendum, detrahuntur vestes, aptantur instrumenta, in crucem conjicitur nudus, dexteram porrigit, obediens tortoribus, tum sinistram, et pedes terebrandos et perforandos clavis. Aspice Christum attollentem oculos, offerre se Deo Patri pro peccatis tuis, et alloquere magno cum affectu usque ad Elevationem.

In Elevatione vide elevari crucem, et Christum pro inimicis orantem audi (quod, ut ipse fassus, in Elevatione observabat semper). Tum vide quomodo ex toto corpore sanguis fluat, et vulnera aspice. — Ad caput ora pro Superioribus ecclesiasticis, et pro sæcularibus per coronam. — Per dexteram, pro parentibus, fratribus spiritualibus in genere et particulari, pro corporalibus, et pro benefactoribus et amicis. — Ad sinistram pro inimicis, et quos ego, vel qui me contristaverunt, injuriis affecerunt, vel Societatem. — Ad latus, pro me ipso, 1° ut possim Deum ex toto corde diligere; 2° ut ardere possim zelo salutis proximi; 3° ut perseverare in Societate possim; 4° ut tria vota bene observare; 5° ut magnum geram affectum erga B. Virginem et Venerabile Sacramentum. — Ad pedes pro Societate, et omnibus religiosis bonis et malis, et pro sæcularibus bonis et malis.

In Communione, vide quomodo B. Virgo cum Angelis et Patronis tuis deferat Christum ad te ad sepeliendum in corde tuo, et magna

cum humilitate et charitate eum suscipe; tum fidem excita, gratias age, offer hospitem, et hospiti, pete, propone.

Alius modus a Nativitate sumptus. Egrediente Sacerdote, cogita egredi B. Virginem a Nazareth in Bethlehem cum Sancto Joseph, et comitare per iter difficile usque ad Evangelii recitationem. — Ad Credo fidem excita de Jesu. — Ad Offertorium vide B. Virginem mendicantem hospitium : obstupesce, et cor tuum offer. Vide postea quomodo divertat in stabulum cum gaudio : vide Angelos exspectantes eum. — In Elevatione aspice natum quasi puerulum Jesum; adora, fidei, spei, et charitatis actu; mirare summam ejus paupertatem, usque ad Communionem. — Tum statue te ad Præsepe cum B. Virgine, et ab ea veniam pete ponendi Jesulum in lectulo cordis tui, dein apprehende illum, amplectere magno cum affectu, offer Deo Patri, gratias age, pete, et tene eum : Domine non dimittam te, nisi dederis mihi hoc et hoc.

Inter vescendum. Imaginare quasi videas Christum Dominum vescentem cum suis discipulis, observando quem modum teneat, et imitare; vel cogita fel Christi, vel te habere Christum recens natum in corde tuo, ibique petere lac a te, educa illum, relinquendo illi optima.

ALIA QUÆDAM AB EODEM JOANNE BERCHMANS ROMÆ CONSCRIPTA.

Incitamenta ad orandum.

Motivum primum : Si bene facio orationem meam, non erit ullum periculum amittendæ vocationis meæ; omnis enim apostasia a Societate hinc sumit initium.

Secundum : Maxima sollicitudo Societatis de oratione; ideo enim datur quadrans vesperi, visitantur omnes, etc.

Tertium : Qui bene facit orationem, habebit cælum hic, propter abundantiam consolationum, et postea.

Quia autem oratio pendet vel maxime a modo mane surgendi, ideo prius hic tradenda videtur ratio bene transigendi mediam illam horam, quæ præcedit orationem, qui modus erit præparatio ad illam.

Modus bene transigendi mediam primam horam matutinam.

Ad pulsum cogitabo vocaria Deo, et muniens me signo sanctæ Crucis, dicam : *Domine quid me vis facere? paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

Tum exclusa omni alia cogitatione percurram puncta meditationis, et simul aliquam similitu-

dinem, quæ faciat ad meditationem tuam, eo modo quo B. P. Ignatius docet faciendum in Additionibus pro primo et secundo exercitio primæ hebdomadæ. Similitudo communis ad omnem meditationem esse poterit hæc : Considerare Christum in solio sedere, circumstantibus Patronis tuis eo modo, quo solet Summus Pontifex, cum celebrat solemniter, et excita te ad reverentiam et devotionem, vel excita aliquem affectum.

Hoc solum adde : Quando accipis sotanam, antequam induas illam, osculare eam, gaudendo in animo tuo, quod adhuc hodie Christi insignia gestare possis. — Statim ubi descendero, lectus operiendus.

Cum eris vestitus, flectes genua, et facto signo Crucis, gratias ages Angelo tuo Custodi, et Patrono præcedentis diei, verbi gratia S. Ignatio, pro custodia tui die præcedenti, et præcipue hac nocte, petendo ab illis, ut toto reliquo vitæ tuæ tempore, et præsertim in hora mortis adesse velint.

Deinde eliges tibi Patronum præsentis diei, verbi gratia S. Franciscum Xaverium; et cum petieris ab illo, ut idem dignetur facere quod alter Patronus, offeres per manus illius has preces ut primitias istius diei : Primo, Symbolum Apostolorum, protestando te velle esse verum filium sanctæ Catholicæ Apostolicæ Ecclesiæ

Romanæ. — Secundo, Orationem Sodalitatis(1), protestando te velle esse verum filium B. Virginis. — Tertio, formulam Votorum, protestando te velle esse verum filium Societatis.

Deinde proponam hæc tria : Primo, quidquid hodie cogitaturus, dicturus, facturus sum, erit pure ad gloriam Dei, in gratiarum actionem pro beneficio Communionis; vel si media pars hebdomadæ elapsa sit, ut bene possim communicare; et demum, ut possim impetrare, verbi gratia, verum affectum erga B. Virginem et veram internam humilitatem; et uniam cogitationibus, verbis, et actionibus Christi Domini. — Secundo proponam attendere virtuti, vel vitio examinis particularis. — Tertio, nullum per Dei gratiam facere peccatum veniale ex intentione, et ne vel minimam transgredi Regulam, vel ordinationem. — Quarto, vivere et mori in Societate.

Reliquo ante orationem tempore componam omnia mea in cubiculo, primo lectum, deinde reliqua, purgandum caput, et vestes, etc. Inter componendum ordinabo totam meditationem meam. Primo faciam hoc, deinde faciam illud, etc. et si tempus suppetat, faciam aliquas aspirationes, verbi gratia : *Domine doce me orare. Domine, in meditatione mea exardescat ignis. Domine, aperi labia cordis mei, et cor meum annuntiabit laudem tuam.*

(1) Vide supra p. 248.

Immediate ante orationem cogitabo quo sim iturus, nempe ad Deum; quid facturus, nempe cum illo locuturus.

Meditatio.

Accipe aquam lustralem. — Ad pulsum fac signum sanctæ Crucis, dista a loco orationis uno vel gemino passu, et per spatium Orationis Dominicæ elevato animo cogita Christum præsentem, et spectantem, exhibe illi cum humili gestu reverentiam, accede ad locum, et genuflexus pete, ut omnes vires et operationes tuæ tendant sincere ad cultum ejus et gloriam. — Tum tria præludia, narratio historiæ, compositio loci et petitio gratiæ, vel certe duo. — Tum exercitium memoriæ, intellectus, et maxime voluntatis. — Tum colloquium, in quo major reverentia requiritur quam in discursu. — Demum Pater noster, ac deinde cum reverentia usque ad terram, surgendum. — Post orationem, brevis reflexio : si bene, gratiæ agendæ; si male successit, cum pœnitudine causæ inquirendæ. — Ultimo, notanda primo successus, secundo propositum, tertio motivum.

Missæ sacrificium.

Inter eundum cogita quo eas, nempe ad Deum; et quid facturus, nempe oblaturus Fi-

lium suum. — In loco, pete gratiam, renova intentionem mane factam, nempe ad gloriam Dei, in gratiarum actionem pro Communione, vel præparationem ad illam, et ut impetres hoc, vel illud. Uni demum hoc Sacrificium incruentum cum illo incruento in ara Crucis oblato, et actionem illam tuam cum ipso Sacrificio. — Ab initio usque ad Oblationem attende verba, et ad illud quod agitur. — Ab Oblatione, incipiam percurrere passionem Christi, inchoando ab oratione in horto, ita ut dum dicitur *Sanctus*, eo pervenerim, ubi Christus prosternens se in Cruce, a tortoribus clavis illi affigitur. Hic animo ad Deum Patrem elevato, invitabo illum : *Aspice, Domine, in faciem Christi tui;* et *per caput* ejus spinis coronatum orabo, primo pro Summo Pontifice, Imperatore, Regibus, Principibus Christianis, et petam det illis gratiam bene gubernandi, et defendendi Ecclesiam suam; secundo per idem caput pro R. P. N. Generali, Provinciali, Rectore, Ministro, Patre spirituali, Præceptoribus, etc. — *Per manum dexteram* pro amicis carnalibus, det illis gratiam observandi præcepta sua, tum pro spiritualibus, commendando primo omnes qui in eodem Collegio mecum habitant, et pro quibusvis nominatim, petendo pro illis hæc tria : primo, Angelicam castitatem; secundo, sint bonum instrumentum Societatis;

tertio, perseverantiam in vocatione. — *Per manum sinistram* pro omnibus inimicis meis, hæreticis, gentilibus, et existentibus in peccato mortali. — *Per pedem dexterum* pro omnibus illis, qui remissius vivunt in Societate, ut eorum imperfectiones non impediant fructum Societatis. — *Per pedem sinistrum* pro omnibus apostatis Societatis, ut illorum Deus dignetur misereri.

Ad Elevationem imaginabor mihi veram in Cruce cruentati Corporis elevationem, et dicam: *Adoro te Christe, et benedico tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Et ulterius, *Anima Christi.* — Ad *Nobis quoque peccatoribus,* cogitabo de Vulnere lateris, et statim petam a Christo, ut dignetur in illo abscondere Societatem suam, et ut illam conservet, defendat, et augeat. Secundo, commendabo defunctos parentes, et amicos meos carnales, defunctos Societatis, et illos defunctos, pro quibus pauci orant, et qui precibus maxime indigent. Tertio, ut me in illo abscondat, et det mihi veram charitatem, lætitiam spiritualem, sanctitatem, doctrinam (si sit major gloria ejus), Angelicam castitatem, faciat me bonum ministrum Societatis, et perseverantiam in vocatione, affectum erga B. Virginem, et virtutem examinis particularis, verbi gratia charitatem, vel veram internam humilitatem. — Communicabo spiri-

tualiter. — Reliquo tempore attende ad verba Sacerdotis, et cum illo gratias age. — Post Sacrum primo dole, secundo gratias age, tertio uni actionem tuam cum Sacrificio. Dic *Magnificat* pro indulgentia omnium defectuum.

Communio.

Inter cundum cogitabo quid sim facturus, nempe sumpturus vere carnem et sanguinem Filii Dei, et Filii Beatæ Virginis. Invitabo Advocatos meos, ut præparent illi cor meum. — In loco pete gratiam, renova intentionem mane factam. Tum paululum cogita miserias, peccata, et imperfectiones tuas; dole primo de omni peccato commisso, et propone sinceram emendationem. — Ab Oblatione usque ad *Sanctus*, recitabo aliquam orationem vocalem devotam; tum usque ad Elevationem percurram totam passionem Christi.

Sub Elevatione cogitabo eumdem illum Christum de cælo in altare descendere, idque ut paulo post animam meam ingrediatur; adorabo illum, recitando, *Tu rex gloriæ Christe*, cum Sancto Thoma, usque ad *Salvum fac*, etc. Tum persistam in actibus fidei et charitatis, usque ad *Pater noster*. — Hic incipiam aspirare ad Christum, dicendo : *Quis mihi det te, fratrem meum, sugentem ubera matris meæ? etc. Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum, etc.*

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, etc. Veniat dilectus meus in hortum suum, etc. Offeram hæc desideria Christo per B. Virginem, et cogitabo illum respondere : *Ego veniam, et curabo eum ;* et dicam humiliter : *Domine non sum dignus, etc. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.* — Statim ac recepisti, elice actum fidei, nimirum credere te, hoc quod habes, esse vere Filium Dei et B. Virginis; tum cum omni humilitate quæras ab illo : *Unde hoc mihi, ut Dominus meus veniat ad me?* — Gratias agam per brevem orationem vocalem, et petam ut idem Patroni mei faciant; tum offeram illi corpus et animam meam, aliquod munusculum in particulari, nempe aliquot actus alicujus virtutis, verbi gratia, mortificationis ; tum vota mea, illa renovando; demum firmum propositum serviendi Matri ejus B. Virgini, et dicam Orationem Sodalitatis (p. 248). — Deinde convertam me ad Deum Patrem, petens aspiciat in faciem Christi sui, et per sacra Vulnera ejus petam omnia ut supra (p. 258). Finiam rursus gratias agendo, et veniam petendo quod tam male illum tractarim, et dicam : *Laudate Dominum omnes gentes*, etc.

Confessio.

Ante Confessionem. Post signum sanctæ Crucis convertam me ad B. Virginem, flagitando ejus apud Filium intercessionem, et gratiæ impetrationem, ut crimina mea cognoscam, et detester, et internam eorum cognitionem et detestationem sentire possim. — Tum ad Filium, ut idem mihi impetret a Deo Patre. — Demum convertam me ad Patrem, ut idem mihi liberaliter largiatur. — Postea subdam examen, dein dolorem, quem procurabo purum, intensum, et Deo juvante universalem de omnibus peccatis; adjungam propositum emendationis.

In Confessione, servabo modum communem Societatis.

Post Confessionem : Primo, gratias agam. — Secundo, statim pœnitentiam implebo. — Tertio, renovabo propositum emendationis. — Quarto, invitabo Christum aliqua aspiratione, verbi gratia : *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Vel dic orationem : *Sit tibi Domine, obsecro, precibus et meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de puritate et integritate confessionis, de dolore et proposito emendationis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in cœlo. — Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

Quadrans post examen vesperi.

Immediate post examen, offeram omnes cogitationes, verba, et opera mea Deo, per Patronum illius diei, in unione cogitationum, verborum et operum Christi. — Secundo, dicam Credo, Orationem Sodalitatis, et Formulam Votorum, protestando, ut supra (p. 255 et 56), me velle vivere et mori verum filium Ecclesiæ, B. Virginis, et Societatis Jesu. — Tertio asperge lectum lustrali.

Inter exuendum, disponam de modo, quo mihi postridie surgendum erit et meditandum.

Super, vel ante lectum, flecte genua, dic ter Ave, Primum B. Virgini Lauretanæ (1) ad honorem maternitatis ejus, petendo, ut liberet te ista nocte ab omnibus malis somniis. — Secundo, B. Virgini Aspricollis, ad honorem Immaculatæ Conceptionis ipsius, ut te statim faciat dormire, et cum diligentia surgere. — Tertium, B. Virgini Hallensi (2), ad honorem illius instantis (de instanti etiam superioribus adde), in quo post mortem suam unita fuit Filio

(1) Hanc in itinere e Belgio Romam visitaverat. Vide supra p. 60.

(2) Peregrinatio Hallensis cum Aspricollensi, de qua initio hujus Vitæ nonnulla annotavimus, totius Belgii celeberrimæ sunt, nec a Belgis tantum, sed a vicinarum etiam regionum incolis instituuntur. Utriusque loci historiam, et prodigia quæ in iis facta sunt, Justus Lipsius eleganti stylo enarravit.

suo, petendo felicem successum orationis postridie faciendæ, et lætitiam spiritualem.

Dum lectum ingrederis, renova intentionem puram, et uni cum quiete Christi. Demum bene cogita, primum de hora qua surgendum erit; secundo percurre puncta meditationis, et quiesce in Domino, et sub cervice pone Regulas.

Modus pro reliquis actionibus.

Ante. Primo petam gratiam. — Secundo renovabo intentionem, nempe me hoc facere pure ad gloriam Dei, in gratiarum actionem, vel præparationem ad Communionem, et ut impetrem, verbi gratia, sincerum affectum erga B. Virginem, et veram internam humilitatem. — Tertio, uni cum simili actione Christi. *Postremo*, dole de malo, gratias age de bono.

DE EMENDATIONE VITÆ.

Ad exstirpandas radices peccatorum in communi.

Motiva: Primum. Si non procedam ad radices, semper discam, et nunquam ad scientiam perveniam.

Secundum. Si non procedam ad radices, semper ero in actu primo, et dispositione

proxima ad peccatum, primo veniale, deinde mortale.

Tertium. Festina eas evellere, cum adhuc teneræ sunt; si enim nimium confirmentur, postea, cum voles id facere, non poteris.

Remedia. Primum, examen particulare diligens; secundum, oratio fervens; tertium, mortificatio assidua.

SUPERBIA.

INITIUM OMNIS PECCATI SUPERBIA EST.

Motiva ad tollendum superbiam.

Primum : Christus in cruce dicens ad me : Disce a me tu, qui prætendis esse e Societate mea, quia mitis sum, et humilis corde.

Secundum. Si superbiam intus foves, mendax es; vestes enim tuæ, te dicunt esse socium Jesu, cum tamen interius vere sis socius diaboli.

Tertium. Exstirpanda mihi superbia est, si Mariam adeo humilem Christi ancillam opto habere matrem.

Remedia. Primum : eligam mihi Patronam, quæ in virtute contraria mire excelluit, hæc erit mihi Beatissima Virgo Maria.

Secundum : attendam sedulo cognitioni mei ipsius, quid fuerim, nempe nihil; quid sim,

nempe apostema mundi; quid ero, nempe cadaver putidissimum.

Tertium : apud Superiores meos, et Patres spirituales esse conabor candidus totus, et sincerus, et velut aqua purissima.

Pro humilitate contra superbiam.

Statuo toto hoc anno sequenti 1620 per Dei gratiam incumbere humilitati : Primo, ut ordinate procedam in ædificanda domo sanctitatis, incipiendo a fundamento. Secundo, quia si non sum humilis, inutilis sum Societati. Tertio, quia nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus.

Statuo eo dirigere præcipue omnes orationes meas, desideria, actiones, et examina particularia.

Primum examen particulare, primis quindecim diebus, attendens, quod si oculus meus, id est intentio mea fuerit pura, totum corpus meum lucidum erit. Materia examinis sit nihil facere ut videaris ab hominibus, et quotidie facere duos actus humilitatis, mane unum, vesperi alium.

Secundum examen : Nil relinquere ob homines et vanos respectus, et quotidie facere quatuor actus humilitatis, mane duos, vesperi duos.

De *reliquis punctis*, quæ hic adscribam, dis-

pones absolutis his duobus examinibus, attendens in quo maxime deficias et pericliteris; solum adverte, addendos tibi esse singulis diebus duos humilitatis actus.

1. Cogitationes, quæ faciant me alte sentire de meipso, statim rescindere; quia sic applicatur immediate securis radici ipsius superbiæ, quæ est æstimatio propria.

2. Nihil dicere, quod in laudem tuam redundare possit, nisi obedientia aliud exigat, quia sic subtrahes pabulum vanæ gloriæ.

3. Quod potes facere in cubiculo, non facias extra, ob eamdem rationem.

4. Cum laudaris, intra te confundi, quod talis habearis ab aliis, qualis non es, ob eamdem rationem.

5. Cum alius laudatur, pellere ex animo omnem displicentiam ex invidia ortam, et excitare gaudium; quia hac ratione facile te omnibus postpones.

6. Optare et procurare potiores partes aliis deferre, et practice omnes habere pro Superioribus, conversando cum illis cum tali respectu humilitatis, etc; quia hoc jubet Sanctus Pater Ignatius. Nulli te præferre, et de omnibus alta sentire. Quia etiamsi frater tuus modo tibi videatur imperfectus, quid scis an a Deo ille electus sit in Martyrem, etc.

7. Abhorrere, quantum est ex te, gratias

gratis datas, ut facere miracula etc. quia sæpe per illas homo exponitur periculo æternæ damnationis.

8. Humiliationem acceptare, primo patienter, quia sic auges coronam; secundo, cum promptitudine, quia sic imitaris Christum dicentem in horto : *Surgite, eamus;* tertio, cum gaudio, quia sic habebis paradisum in terris.

9. Optare ut vilis habearis, et si hoc tibi non succedat, ex animo contristare, quia sic fies pretiosus in oculis Dei.

Actionum emendatio in communi.

Motivum primum : Præceptum Domini est, *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est;* sicut ergo Deus omnia quæ facit, bene facit, ita debeo et ego.

Secundum : nescis an ista actio tibi futura sit ultima, fac ergo eo modo, quo voles a te factam fuisse ulimam.

Tertium : quælibet actio bene facta, est quasi mel in ore Dei, gratissima ejus palato, vel quasi pulcra repræsentatio, quæ mire illi placet. Noli, anima mea, amantissimum parentem tuum illa recreatione fraudare.

Remedia. Primum, præsentia Dei in omnibus. — Secundum, determinare mihi modum faciendi omnes actiones meas in particulari, curare ut approbetur a Patre meo spirituali,

et deinde per examen particulare curare illius observationem. — Tertium, procurare omni studio, ut matutina oratio bene tibi succedat.

Examen particulare de Charitate proximi.

1. Patienter sufferre defectus fratrum, et facere unum actum charitatis.

2. Neminem judicare, et facere duos actus charitatis.

3. De omnibus bene sentire, et facere tres actus charitatis.

4. Compati aliis, et facere quatuor actus charitatis.

5. Congaudere, et congratulari, quando aliis res bene succedunt, et facere quinque actus charitatis.

6. Ero benignus, et obsequiosus, et omnibus benefaciens, et facere sex actus charitatis.

7. Semper excusare fratres in animo meo, et apud alios, et facere septem actus charitatis.

8. Bona et placida verba dare, et facere octo actus charitatis.

BONUS SCHOLASTICUS SOCIETATIS JESU.

I. *In ordine ad Deum.*

Circa Scholas præter gloriam Dei et animarum

fructum nihil intendat. — Secundo, sit devotus et addictus orationi; gratiam proficiendi sæpe petat. — Tertio, solidarum virtutum, et religiosæ vitæ amore flagret. — Quarto, examen particulare et generale diligenter exerceat, Sacro quotidie devotissime intersit, et devote octavo quoque die communicet; hæc enim tria vehementer cordi habuisse S. P. nostrum Ignatium dum Parisiis studeret, tradit Maffejus lib. 1. cap. 19.

II. *In ordine ad studia.*

1. Persuadeat sibi, quod studere secundum mentem Societatis, sit res magni meriti.

2. Quoad genus studiorum et Præceptores sit indifferens.

3. Serio et constanter animum ad studia adjiciat.

4. Servet præscriptam divisionem temporis diligenter.

5. Nullis utatur libris, præterquam a Præceptore præscriptis.

6. In audiendis lectionibus sit assiduus, diligens in prævidendis et repetendis, et tam in domesticis quam externis disputationibus et repetitionibus, modestiæ et doctrinæ specimen præbeat.

7. Ubique sit memor modestiæ et gravitatis religiosæ.

8. Scripta domi relegat, intelligat, intellecta examinet, objiciendo sibi et solvendo; quæ nequit solvere, notet.

9. Quæ notatu digna in lectionibus, in scripta referet, postmodum cum otio in alium librum transferenda.

10. Ultra duas horas non continuet lectionem aut scriptionem, quin parumper interrumpat.

11. Quod a Magistro præscriptum fuerit, memoriæ mandet, stylumque diligenter exerceat.

III. *In ordine ad alios.*

Primo latine loquatur; secundo, si externis scholasticis loquendum, cum facultate, et nonnisi de litteris, vel ad spiritum pertinentibus; tertio, memor sit in omnibus denique, se filium esse adeo bonæ matris Societatis Jesu.

QUÆDAM PLACITA ET DECRETA MORALIA, QUÆ SIBI CONSCRIPSIT JOANNES ULTIMO ANNO VITÆ SUÆ.

1. Nulla res mihi magis vitanda, quam otium, et tristitia, et familiaritates.

2. Non sum securus, nisi habeam verum et filialem affectum erga B. Virginem.

3. Tamdiu ero verus filius Societatis, quamdiu ero candidus et apertus Superioribus.

4. Non facile petam facultatem generalem pro aliqua re.

5. Vivam in dies et horas, nihil sollicitus de crastino.

6. Profitebor me hominem spiritualem et devotum.

7. Nolo unquam cogitare quid de me futurum sit, sed Deo me totum credere, et confidere.

8. Quidquid affert inquietudinem, est a diabolo.

9. Non dependere, aut inniti ulli, nec præceptori, etc. sed soli Deo, et meis Superioribus.

10. Illud quod possum facere hac hora, non differam ad aliam horam.

11. Multum confidam in gratia meæ vocationis.

12. Pro parvis defectibus magnas facere pœnitentias.

13. Nisi ego sanctus evadam interea dum sum juvenis, nunquam ero sanctus.

14. Maximi facere minima.

15. Nolle ut Superior, quando aliquid imperat, ullam reddat rationem.

16. Sequi in omnibus communitatem, et maxime odisse singularitates.

17. In omnibus ero mundo contrarius.

18. Ducam majus esse momentum in rebus spiritualibus et virtutibus, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis.

19. Qui plus laborat, minus laborat.

20. Odisse ut pestem dispensationem in Regulis.

21. Si non habeo habitum orationis, non vivam in Societate cum pace.

22. Multum facere, parum loqui.

23. Attende tibi; de aliis quid agatur quid ad te?

24. Non erubescere facere omnia illa, quæ doctus es in Novitiatu.

25. Talis et tantus es, qualis et quantus es apud Deum, non apud homines.

26. Ita ero zelosus honoris Societatis Jesu, sicut ambitiosus verus honoris proprii.

27. Si vis esse filius B. Virginis et Societatis, zelator esto castitatis tuæ.

28. Interea dum ero studiosus Societatis, amabo et incolam cubiculum quantum possibile est.

29. Si tibi est cordi honor Societatis, sit tibi cordi modestia, et in recreatione loqui de rebus spiritualibus.

30. Sit tibi dulce pro amaro, et amarum dulce (1).

(1) Unde effatum illud simul cum sequenti depromptum fuerit, discimus ex his verbis Venerabilis Ludovici De Ponte : « Diu im- » penseque animo revolvi tres veritates olim a Christo Domino » B. Catharinæ Senensi demonstratas, ex quarum singulis mul- » tum teneri affectus, multum profundæ instructionis mihi pro- » venit. Prima est : Ego sum qui sum; tu vero es quæ non es.

31. Sit tibi curæ Deus, et Deo erit cura de te.

32. Vide ne ob negligentiam tuam Deus tibi auferat teneritudinem animi, et permittat te insensibilem.

33. Quod tibi displicet in aliis, nunquam facias, sed quod placet.

34. Vide ne ulli unquam e Superioribus tuis sis gravis, et nulli in Societate molestus, sed potius omnium sis recreatio.

35. Geram me in Societate, ac si essem mendicus, per gratiam admissus in Societatem, et omnia mihi cogitabo fieri ex mera gratia.

36. Nihil prodest mihi universum mundum lucrari, animæ vero meæ detrimentum pati.

37. Sis spiritualis avarus, et mercator.

38. Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

39. Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.

40. Matrem præbe te erga alios, erga te ipsum judicem.

41. Quid mihi prodest diu in Societate vivere, et ad illius finem non pervenire?

42. Non curabo aliorum dicta circa observationem Regularum, et propositorum.

» Secunda : Res dulces hujus vitæ pro amaris accipe, amaras pro » dulcibus. Tertia : Tu mei curam gere, curam tui ego nunquam » prætermittam. His bene ponderatis etc. » (*Pretiosa sensa... Ven. Ludovici De Ponte*, post ejus mortem in scriptis reperta. Editio quinta. *Amstelodami* 1698, pag. 30.)

43. Procedam semper licite, non curando ista quæ vocant complimenta.

Miscellanea.

1. Facilius est loqui de rebus spiritualibus cum paucioribus, quam cum multis.

2. Non est bonum semper agere cum iisdem, sed cum diversis in recreatione.

3. Expertus sum, dare medium diem cum liberalitate rebus spiritualibus in die Communionis, et aliis Festis unam horam, et singulis mensibus unum diem, nil detrahere studiis.

4. Contentus ero cibis communibus.

5. Nunquam petam facultatem generalem dandi vel accipiendi.

6. Primis tribus diebus cujusque mensis Regulas meditabor omnes.

7. Nihil tenere in cubiculo superfluum.

8. Magnam habere curam vestium mearum, et earum rerum quæ usui meo destinantur.

9. Dabo me totum cultui B. Virginis.

10. Facito cum diligentia examen particulare.

11. Applicare me serio et constanter studiis.

12. Facere mihi familiares Regulas electionis B. P. N. pro observantia Regulæ Summarii.

13. Loqui Latine cum Præceptore, etiamsi ipse loquatur Italice.

14. Non videre equitationes, nec nisi semel Processionem Corporis Domini.

15. Ad nomen Beati Aloysii aperias caput.

16. In surgendo mane ero quam diligentissimus.

17. Omnia Superioris mandata et voluntates scripto adnotabo, et exactissime conabor observare.

18. De die, quantum fieri potest, nunquam dormiam.

19. Affectum meum erga Venerabile Sacramentum sedulo fovebo, et saltem quinquies in die illud visitabo. Et singulis diebus Jovis ob id faciam aliquam in Refectorio pœnitentiam.

20. Diebus Sabbatinis lavabo scyphos in culina in honorem Beatæ Virginis.

21. Quandocumque aliquid pœnitentia dignum commisero contra aliquam Regulam, toto tempore vitæ meæ humiliter illam petam.

22. Eligam certum minus impeditum quovis mense diem, quo me tribus quatuorve meditationibus recolligam.

23. Ad Confessionem inter primos semper conabor adesse.

24. Singulis septimanis accedam ad Patrem Rectorem, et ei reddam rationem, primo, an servaverim silentium; secundo, an locutus sim de rebus spiritualibus; tertio, an omnia mea servaverim proposita.

25. Cavebo mihi sedulo a judicando alios, aut aliorum rebus me immiscendo; si aliquid

inexcusabile occurret, compatiar, me inspiciam, et de facto recitabo pro emendatione vel Ave, vel simile.

26. Valde verecunde et humiliter in omni loco agam cum fratribus.

27. Disrumpar potius, quam vel minimam ordinationem, aut Regulam voluntarie transgrediar; potius amitterre omnem sanitatem, quam ob illam ullam Regulam prætergredi.

28. Potius mori, quam pro sanitate ullam Regulam violare.

29. Professorum ero observantissimus.

30. Valde lubentem me præbebo in concedendis dictatis et similibus, et charitatem custodiam ut pupillam oculi.

31. In omnibus Superioribus meis Deum invenire studebo.

32. Quam maxime addictum me servabo rebus spiritualibus, præsertim meditationi, examini, et lectioni spirituali.

33. Cogitandum mihi est, debere me etiam cum corpore meo alere Christum, scilicet mortificatione; itaque nunquam a mensa recedam, nisi me in aliquo mortificavero.

34. Vivere in dies et horas, sine sollicitudine de futuris contingentibus, committendo mea omnia providentiæ divinæ, meisque Superioribus.

35. Non erubescere facere frequenter pœnitentias in Refectorio.

36. Non erubescere cum aliquid fregeris, verbi gratia vitrum, poculum, vel aliud quid feceris, petere pœnitentiam, et pœnitentias omnes petere genibus flexis, etiam si Sacerdos aut quicumque sis.

37. Non erubescere frequenter agere cum Patre spirituali, et cogita quod ei nihil potest accidere jucundius.

38. Non erubescere quærere quibuscum possim loqui de rebus spiritualibus, et frequenter me jungere fratribus Coadjutoribus.

39. Sinam Sacerdotes medio passu præcedere.

40. Si aliquis tecum sua confidenter volet communicare, fac ut sciat, te illa quæ dicet Superiori dicturum, si ita videatur.

41. Conversatio tepidorum vitanda ut lippientium; aspectus mulieris vitandus sicut basiliscus.

42. Humiliter et cum magna alacritate, in omnibus quæ frater meus Sacrista præcipiet, obediam ut Christo.

43. Quando discedit a te Christus, o anima mea, et desolaris, non turbetur cor tuum; veniet enim Dominus, et non tardabit. Oculi tui semper Christum prosequantur fugientem; et si ad delectationes mundi, aut carnis inclinaris, clama ad illum : *Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

44. O Domine, præter Communionem quid

mihi dulce et jucundum sit, cum tu per eam clarificari devotissime rogaveris? Annuntiabo te fratribus meis bono et sancto conversationis exemplo; et de omnibus bene sentiam.

45. Domine sum palmes aridus in Societate tua, non abscindar a te vite vera, sed secundum misericordiam tuam influat in me succus gratiæ tuæ.

46. Domine, ego te toties in fratribus meis judico peccatorem etc.; quale et quam durum mihi judicium exspectandum est, qui tam durus tui sum judex?

47. Quid tibi, o anima mea, prodest amari ab hominibus, si propter illum amorem amicitiam Jesu perdas cum Pilato?

48. O Domine, quoties inspirationes tuas contempsi, neglexi, hominibus placere desiderans.

49. Christus Dominus, etiamsi corpus suum nimis debile sciret, tamen crucem humeris suis excepit; tu anima mea obedientiæ mandata ob pusillanimitatem tuam non suscipies? Christum Simon juvit, juvabit te Christus ipse.

50. Jesus, mundus, diabolus et caro mea quærunt me, et nemo, nisi velim, inveniet me; si diabolus, mundus, caro inveniant me, ut leones rugientes devorabunt me, solus Jesus ditabit et salvabit inventum me. Volo, Jesu bone, volo ut invenias et possideas me; nam

si tu invenis me, inveni ego te, et sufficit mihi.

51. Prudenter clamas, Petre : *Recede a me Domine, quia homo peccator sum;* non enim recedit Jesus, nisi prius a Jesu quis recesserit.

52. Bestiæ, ut finem suum consequantur, sponte contendunt, et tu, anima mea, tot tantisque incitamentis indiges?

53. Movet me ista consideratio : ego in Societate servus omnium esse debeo, non dominus, et ista debet esse gloriatio mea; quomodo enim velim esse dominus, cum Christus Dominus non venerit ministrari, sed ministrare; et Beatissima Virgo Maria sese esse glorietur ancillam? Geram igitur me cum Fratribus meis omnibus, ut servum decet, et vile mancipium.

54. Sicut accidens semper agit ut subordinatum et applicatum a substantia, ita ego respectu Superiorum meorum, et Superiores mei respectu Dei.

55. Sicut non prodest habere virtutem activam et non applicare passo, ita nec prodest habere merita Christi et mihi non applicare.

56. Quid tibi, o anima, libet hæc dicere vel facere, quæ postmodum in cubiculo oportebit deflere?

57. Vis videre si amas vocationem tuam; vide an ames mortificationem tuam. Vocatio tua est, esse Socium Jesu; quomodo autem vis esse Socius Jesu, nisi sis crucifixus cum Jesu?

58. O bone Jesu, quis deflectat a via, ubi tu es via? quis erret a via, ubi tu es lux et dux in via ?

59. Omni studio curabo et tuebor pacem et lætitiam internam.

60. Attendam serio quid mihi agendum sit, et non quid agatur ab aliis.

61. Nunquam ero otiosus.

62. Nulli qui te liberiorem faciat, te credito; sed profitere cum omnibus te spiritualem et devotum.

63. Salutare Patres, ut sanctos Confessores; Fratres, ut Angelos.

64. Attendere ad proprios defectus, non ad alienos, et te omnibus inferiorem reputare.

65. Fac habitum in excusandis aliis in visceribus charitatis.

66. Cedere aliis commodiora in omnibus, et fugere quæ sunt speciosa.

67. Non sis facilis in affirmando et negando, et responsio tua sit simplex, Est, est, Non, non: *Fratello sì, fratello no.*

68. Quid vis videre, quod non licet habere? A multis tentationibus liberat custodia oculorum, quæ est mater devotionis.

69. Cave ab excusando te apud Superiores.

70. Non respicias bonum proprium, sed bonum commune et gloriam Dei.

71. In rebus agendis cave a spiritu conten-

tionis et contradictionis; et quando aliquid faciendum est, ut laborandum in culina, libenter sequaris judicium alterius et idem sentias in rebus levioribus.

72. Obliviscaris injuriarum, quas tibi proximus fecit, sic enim S. Dorotheus docet.

73. Etiam in minimis rebus pete consilium.

74. Non designes aliquid de teipso, sed liberam tui dispositionem relinque Superioribus.

75. Optimum medium ad acquirendum dominium tui, et animi tranquillitatem, est abnegatio proprii judicii et propriæ voluntatis, quæ est propria filiorum Societatis, et a Christo requisita in sequentibus se : *Qui vult venire post me, abneget se.*

76. Abnegatio proprii judicii est mortificatio illius actus intellectus, qui non est conformis Dei et hominum sapientum judicio.

77. Abnegatio propriæ voluntatis, est mortificare ita voluntatem tuam, ut nihil interius exteriusque velis ob explendam voluntatem tuam, sed in omnibus rebus exequaris voluntatem Dei, et Superiorum.

78. Pro aliquo beneficio ab homine accepto dicas ei : *Deo gratias*, *Dominus sit* vel *erit merces.*

79. Qui non æstimat orationem, non potest perdurare in via spirituali.

80. Tantum displicet oratio diabolo, ut omni studio eam impedire conetur.

81. Contemptus sui est via compendiosa ad perfectionem, et causa magnæ quietis.

82. Quando occurrit mortificatio honoris, toto corde eam amplectere.

83. Obedientia consistit in unione voluntatis humanæ cum divina, et in executione eorum quæ Deus inspirat. Primus actus est, cognoscere inspirationes Dei; secundus, eas auscultare; tertius, proponere executionem; quartus, exequi.

84. Omnibus diebus Sabbatinis aliquid in recreatione loqui de Beata Virgine, et Dominicis de venerabili Sacramento.

85. Quando vides aliquem e Societate alterius Collegii, reverere illum ut Angelum.

86. Cave, ne id quod tibi displicet in aliis (etiam in naturalibus, spuendo v. g.) unquam facias. Verbi gratia :

87. Tarditas et languor in motu, displicet.

88. Libertas in loquendo etiam de spiritualibus, displicet.

89. Contradictio frequens, displicet.

90. Nimis delicate se habere, displicet.

91. Libertas in conversando, displicet.

92. Modus conversandi ironicus, displicet.

93. Ferre manus post tergum, displicet.

94. In platea retro respicere et libere, displicet.

95. Facile movere caput, displicet.

96. Cachinnari, clamare alta voce, immoderate ridere, displicet.

97. Loqui in Refectorio, in Ecclesia, in Sacristia, et temporibus vetitis, displicet.

98. Attende quæ tibi placent in aliis, et hæc facias et imiteris.

99. Placet in Patre nostro Generali modestia, affabilitas, cordialitas, lætitia vultus, et quod sequitur in omnibus communitatem. In Patre Provinciali studium litterarum; in Patre Rectore et Patre spirituali, semper sui similes; in Patre Præfecto studiorum reverentia erga omnes; in Præceptore amor, et gaudium de profectu suorum discipulorum; in Patre N. patientia in morbo; in Patre N. silentium; in Patre N. modestia et verecundia, et recessus seu solitudo; in Patre N. zelus animarum, et indefatigabilitas; in Patre N. amor cellæ, et simplicitas; in Patre N. amor Instituti; in Patre N. amabilitas et affabilitas; in Patre N. jucunditas cum spiritualitate; in Patre N. quod sit omnium servus, hilaris et laboriosus; in Patre N. se omnibus socium præbere; in fratre N. fuga otii; in fratre N. supplere omnibus; in N. vivacitas; in N. mansuetudo et tractabilitas; in N. nitor, mundities et hospitalitas; in N. sinceritas; in N. suo tempore omnia; in N. visitatio infirmorum; in N. devotio.

100. Lætitia exterior conjuncta cum observantia magna, placet.

101. Ante et post scholas visitare venerabile Sacramentum, placet.

102. In vinea salutare B. Virginem, et visitarevenerabile Sacellum B. P. N. Ignatii, placet.

103. Ne quidem herbæ folium in vinea carpere, placet.

104. Facultatem facere socio cubiculi, ut in cubiculo sine respectu faciat quod vult, placet.

105. Permittere me regi ita ac si essem infans unius diei, placet.

106. Facere ex corde, et cum tota applicatione quæcumque facis, placet.

107. Omni studio aggredi illa omnia, quæ novero ad finem meum utilia fore, et in particulari serio et constanter studiis animum applicare, placet.

108. Manus junctas ante pectus, et nunquam pendulas gerere, placet.

109. Fac tibi familiare Institutum, et tanto magis proficies, quanto magis illud amabis; nam Exercitia ostendunt internum Sancti Patris Ignatii, Constitutiones idem in scripto, et Vita ejus in opere.

110. Sis vilis in oculis tuis, talis opta haberi; si habearis, gaude, non contristare.

111. Nec bona nec mala dicas de te ipso, nisi ex obedientia.

112. Quoad exteriora, quod potes facere in cubiculo, non facias foris.

113. Abhorrere gratias illas gratis datas, ut facere miracula, etc.

114. Facere omnia tamquam si ultima forent.

115. Non elicere unquam appetitum honoris.

116. Non confidere unquam mediis quæ adhibes.

117. Omnis inquietudo ab amore proprio.

118. Pati, otium fugere.

COLLOQUIA SPIRITUALIA DIEI VINEÆ.

Advocata Maria.

Primo locus, solarium; secundo tempus, in die vacationis et vineæ, composito Sacello a prandio; tertio, personæ N. N. N.; quarto materia, virtus, quæ plura vota; quinto modus: 1° dare definitionem et regulam; 2° actus practicos internos et externos; 3° motiva; 4° media vel exempla. Sexto, finis, accendere et inflammare primo nos ipsos, et deinde alios.

Humilitas.

Definitio.

Est animi inclinatio ad contemptum sui, orta ex cognitione sui, per quam homo Deo se subjicit, et hominibus propter Deum, seu ob aliquam bonitatem a Deo illis communicatam.

Actus.

1. Amare nesciri, et pro nihilo reputari,

spernere sperni, cupere sperni, quærere sperni.

2. Subjicere se Deo et hominibus cum magna promptitudine.

3. Nil unquam facere aut dicere, ut propriam inde laudem referas.

4. Sufferre injurias et verba dura.

5. Amare et gaudere, quod defectus tui per alios aliis aperiantur.

6. In verbis ostendere humilitatem, et non excusare se.

7. Omnes meliores et superiores te ducere.

Motiva.

1. Christus talis fuit, et dixit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis Corde.*

2. Beata Virgo talis fuit, et dixit : *Ecce ancilla Domini,* etc. Et, *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

3. Humilis omnia impetrat, et habet claves thesauri Dei : *Oratio humiliantis se,* etc.

4. Quantum se quis humiliat in terra, tantum gloriæ habebit in cælo.

5. Maximi honores et laudes, sunt vanitas.

Media.

1. Cognitio propriæ vilitatis et infirmitatis, et defectibilitatis in corpore, et in anima.

2. Oratio fervens.

3. Humiliatio frequens.

Exempla.

1. B. Franciscus de Borgia abdicato Ducatu, se subscribebat *Franciscus peccator;* et cum socius ei quadam nocte in faciem exspueret, non advertens, ipse nullum viliorem locum sua facie reputabat.

2. Primarius quidam Alexandrinæ civitatis filiam obsessam habebat, Patres eremi ob humilitatem liberare eam nolunt; puella obsessa cuidam sancto seni sportam ementi alapam infligit, ille aliam maxillam præbet, diabolus abscedit, et liberatur.

3. Cuidam juveni sancto diabolus apparet, dicens : Ego sum Gabriel missus jam ad Joannem, et ad Virginem. Respondet : Vide ne ad alium missus sis, nam ego dignus non sum ut Gabriel ad me veniat. Diabolus confusus fugit.

Patientia.

Definitio.

Est virtus, qua mala hujus sæculi æquo animo sustinemus, ita ut propter illa non immoderate turbemur aut tristemur, ne aliquid minus honestum aut decorum admittamus.

Actus.

1. Nullum exterius impatientiæ signum dare.

2. Excludere a corde omnem perturbatio-

nem, displicentiam, tristitiam, et multo magis desiderium vindictæ, etiam minimum.

3. Omnia adversa accipere de manu Domini.

4. Perferre omnia patienter, prompte, hilariter.

Motiva.

1. Christus adhortatur : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

2. Pax nostra debet esse in multa patientia.

3. Patientia est corona omnium virtutum.

4. Per patientiam sumus admirabiles hominibus, eosque convertimus.

Media.

Primo, Gratia Dei; secundo, Amor Dei; tertio, Spes præmii; quarto, Exemplum Christi; quinto, Cognitio propria; sexto, Assuetudo in patiendo.

Exempla.

1. Quidam Christianus ab infidelibus multis injuriis appetebatur; Quid, inquiunt, miraculosi fecit Christus tuus? Hoc, respondet, quod ego istas injurias vestras æquo animo feram.

2. Quidam monachus ab alio invido monacho oculo orbatus, patientia sua illum convertit. *Speculum Exemplorum.*

3. Quidam eremicola, casu a venatoribus

sagitta percutitur, et sagittam extrahi non est passus, sed diu illam tenuit ob patientiæ exercitationem.

4. Mulier quædam plagam vermibus plenam patientissime ferebat; audivit hoc Sanctus Dominicus; accedit ad illam, petit unum ex vermibus, nolebat dare; tandem conditione ut restitueret, dedit : acceptum dum manu tenet, in margaritam convertitur, eum, nolente socio, eidem reddidit et promissis stetit, et in vermem rediit etc. (S. Antonin. in Chronic.) — Et sic de aliis virtutibus.

CORONA DUODECIM STELLARUM B. MARIÆ VIRGINIS (1).

Mulier amicta sole, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

Finis hujus piæ exercitationis est, concipere erga B. Virginem hyperduliam (2), sive reve-

(1) Laudes B. Virginis, quas in hoc piissimo exercitio et in sequenti Ven. Joannes congessit, SS. Patres aliique probati scriptores passim usurparunt; ipse vero ex libris potissimum Ven. Petri Canisii et Petri Spinelli eas accepit.

De devotione Ven. Joannis erga B. Virginem olim speciale opusculum editum est hoc titulo : *Canisii hyperdulia Mariana a Joanne Berchmans Soc. Jesu exercita.* Monachii 1665.

(2) Ut finis ille facilius obtineatur, juverit de hyperdulia disserentem audire pium et magni nominis Theologum Franciscum Suarez, qui tomo 2 de Incarnatione, pro affectu quo in B. Virginem ferebatur, omnia quæ ad illius vitam, dignitatem et cul-

rentiam, gratitudinem, spem; eam imitandi desiderium. Ter recitabitur Pater noster ad Sanctissimam Trinitatem; duodecies Ave Maria ad Beatissimam Virginem.

tum spectant diligenter et copiose tractavit; qua de re sic scribit lectorem initio voluminis alloquens : « Quamvis (ut ingenue fatear) longius disputatione mea progressus sum, quam videretur consuetudo scholastica postulare; quod ut facerem vel invitus, rationes me gravissimæ compulerunt. Ecquis enim tam in dicendo erit jejunus, vel in scribendo inops, ut de amplissima dignitate, de moribus excellentissimis, de admirabili vita et gratia Beatissimæ Virginis dicturus, brevi id et compendioso sermone percurrat? Mihi profecto hoc in genere sæpe visa est Theologia (ut modeste dicam) brevis admodum et concisa.... De Beata ergo Virgine egimus uberius.. ut et pietas a veritate fulciri, et veritas possit pietatis dulcedine utilius investigari. Est enim sine veritate pietas imbecilla, et sine pietate veritas sterilis et jejuna. Etc. »

Disputatione igitur 22 sect. 3, de hyperdulia sic scribit : « Sed quærat aliquis in quo consistat hic excessus, seu major perfectio hyperduliæ supra communem duliam; quia neque externi actus sunt diversi, ut per se constare videtur, neque interni, cum dictum sit actus voluntatis ejusdem rationis esse, nec per se possint in intensione differre, quia interdum inferior Sanctus potest intensiori affectu coli quam Beata Virgo. — Respondetur, primo esse differentiam in existimatione a qua hæc adoratio procedit, quæ de Virgine altior est et excellentior. Secundo, in actibus voluntatis potest assignari differentia, non intensionis (hæc enim est impertinens, ut recte argumentum probat) sed veluti objectiva et appretiativa, quatenus aliquis vult et majora honoris signa Virgini exhibere et (quantum in se est) honorem Virginis aliorum honori præferre, ita ut si necessarium esset alterutrum prætermittere, potius aliorum Sanctorum quam Virginis cultum omitteret. Tertio, hinc potest assignari differentia in actibus externis; possunt enim aliqui destinari ad singularem Virginis excellentiam significandam, qui aliis Sanctis accom-

Prima Meditatio.

Primo itaque, recitato Pater, petetur a Patre æterno reverentia erga B. Virginem, omni honore dignissimam multas ob causas, quæ

modari non possunt, ut in verborum usu conspicitur (seu in titulis quæ B. Virgini tribuuntur), et ad alias actiones id facile accommodari potest. » Et inferius Disp. 23 sect. 3 :

« Ex his sequitur non solum esse a nobis Virginem orandam, sed etiam præ omnibus Sanctis. Primo, quia ejus oratio dignior est et efficacior (ut ostendimus) et ipsa quo nos magis amat et humilior est, eo promptior est et sollicitior pro nobis. Secundo, quia ejus oratio universalior est, nam quidquid alii impetrant, aliquo modo per Virginem impetrant, quia (ut Bernardus dixit) illa est mediatrix ad mediatorem, et veluti collum, per quod influentiæ capitis ad corpus descendunt et ideo epist. 174 monet Bernardus, ut quidquid Deo offerre volumus, per Mariam offeramus; et serm. *Signum magnum : Totum*, inquit, *nos habere voluit per Mariam.* Et S. Germanus serm. de Zona : *Nemo est cui donum concedatur, nisi per te.* Ideo vocant illam *refugium nostrum, naufragantium portum*, et similibus utuntur encomiis quæ passim in citatis Sanctis reperientur. Et hinc ortum est ut inter alios Sanctos non utamur uno ut intercessore ad alium, quia omnes sunt ejusdem ordinis ; ad Virginem autem tanquam ad Reginam et Dominam alii adhibentur intercessores. Quo sensu Angelicam salutationem aliis Sanctis recitamus, ut nimirum eam pro nobis Virgini repræsentent. Rursum hinc etiam fit interdum ut nonnullos Sanctos ad hæc vel illa specialia beneficia obtinenda singulares advocatos habeamus, ut constat ex usu Ecclesiæ et indicavit Augustinus epist. 137 (alias 78 n. 5); Virginem autem ad omnia habemus universalem advocatam, quia in omnibus est potentior quam ceteri in singulis. Hinc denique ortum est ut Ecclesia et præstantioribus modis Virginem oret, eam vocando *spem nostram, vitam, dulcedinem, matrem misericordiæ etc.;* et frequentius ac instantius ad illam quam ad reliquos Sanctos oret. Nullus enim est dies in quo non illi publicas orationes offerat, vel in horis canonicis, vel

sunt : Prima, Electio, ut esset mater Dei. Secunda, Desiderium Patriarcharum, et oracula Prophetarum. Tertia, Puritas, ab omni peccati labe aliena. Quarta, Ornamenta virtutum omnium. Quinta, Cumulus gratiarum aliis omnibus a Deo concessarum (1). Sexta, Regina Angelorum et hominum.

DE VIRTUTIBUS BEATÆ VIRGINIS ERGA DEUM.

Secunda Meditatio.

Prima virtus, Fides.

Primo, dum Ave Maria recitatur, petetur a B. Virgine, ut impetret nobis Fidem, qua ipsa præcipue enituit, Primo, credendo se virginem et matrem futuram, ita et tu omnia poteris, etc. — Secundo, plurimi faciendo mysteria Fidei, quæ docuit etiam Apostolos; ita tu plurimi facies eadem mysteria Fidei. — Tertio, tempore passionis Dominicæ omni ex parte stabilis et

in Missæ sacrificio, vel signo publice dato semel aut bis aut ter in die, ut universus populus Virginem deprecetur... Præterea in concionibus etiam publicis orationem ad Virginem præmittit... Deinde ad eam invocandam plures dies festos illi habet dicatos, ut supra late explicuimus. Sentit ergo Ecclesia Virginis intercessionem et orationem præ omnibus aliis sibi esse utilem ac necessariam; est ergo Beata Virgo a nobis præ omnibus oranda. Ut autem Bernardus dixit, ne oratio inefficax sit, post Deum est a nobis amanda et imitanda. »

(1) De hoc enuntiato late disserit Suarez loc. cit. disp. 18 sect. 4 pag. 183 sqq. edit. Moguntinæ.

firma permanendo; ita et tu perseverabis tentationum tempore.

Tertia Meditatio.

Secunda virtus, Spes.

Ave recitato, petemus Spem qua Beata Virgo maxime enituit, Primo, in speranda æterna gloria, et quidquid a Filio petebat; tu eadem sperabis. — Secundo, in se totam, cum summis premeretur angustiis, divinæ providentiæ committendo; pendebis et tu a divina providentia. — Tertio, in longanimiter exspectanda gloria tantopere a se expetita; tu etiam longanimis Dei dona exspectabis.

Quarta Meditatio.

Tertia virtus, Charitas.

Petemus tertio, Ave recitato, Charitatem qua enituit. Primo, quia amavit, ab omni proprio commodo aliena; tu quæres majorem Dei gloriam in omnibus. — Secundo, fervens amore et laboriosa, nunquam cessans; tu nunquam defatigaberis. — Tertio, ob amorem fortis et constans juxta crucem; tu amabis etiam tentatus. — Quarto, liberalis et se totam cum Filio suo communicans; tu offeres te in holocaustum. — Quinto, tota divino amore æstuans et languens; tu Deum ardenter amabis ex toto corde.

Quinta Meditatio.

Quarta virtus, Religio.

Recitato Ave, petes Religionem quæ in B. Virgine apparuit. Primo, in tractando Christi infantis corpore, illud vestiendo, nutriendo, educando, devote, reverenter, diligenter, et in familiari cum eodem jam grandiore consuetudine; tu imitare in Communione. — Secundo, in oratione et meditatione. *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo;* ita et tu in meditationibus. — Tertio, in cærimoniis legis, invisendo Templum; tu fac similiter in visendis Templis. — Quarto, plurimi faciendo verba a Filio prolata; et tu in concionibus quæ audies verba.

Sexta Meditatio.

Secundum Pater noster, ad Filium.

Secundo Pater recitato, petemus a Filio, qui spes nostra est, ut magna cum spe ad Virginem accurramus; quia primo Deum ipsum ad nos traxit; secundo, est aquæductus (1), per quem facile a Christo tamquam fonte cælestem aquam in nostros hortos derivabimus; tertio, Regina est ditissima et liberalissima.

(1) Hanc appellationem adhibuit S. Bernardus aliique frequenter. Vide opera S. Bern. edit. Mabillonii, Paris. 1690, vol. 1 col. 1012, Serm. in Nativ. B. Virg. De Aquæductu; cfr. Hippolyt. Marracci, *Polyanthea Mariana*, Coloniæ 1684, V° Aquæductus.

Septima Meditatio.

Quinta virtus, Humilitas.

Post recitationem Ave, petemus Humilitatem, qua ipsa, salutata ab Angelo, desponsata a Patre æterno in matrem, electa a Filio, gratia plena a Spiritu sancto, se ancillam dixit : disce tu laudatus humiliter de te sentire. — Secundo, invisit Elisabeth, illique servivit quasi mensibus tribus : disce libens te in abjectis muneribus exercere. — Tertio, mysterium Incarnationis celavit, et laudata, in Deum retulit laudationem, dicens : *Magnificat anima mea Dominum;* disce res plausibiles abscondere, et bona Deo refer accepta. — Quarto, servivit Sancto Joseph, ultimo loco sedebat, ideoque in ultimo loco nominatur in Actibus Apostolorum : tu noli eminere super alios sedendo etc.

Octava Meditatio.

Sexta virtus, Virginitas.

Recitato Ave, pete a Beata Virgine Castitatem, ipsa enim prima omnium castitatem vovit (1); pete ergo ut eam in te conservet. —

(1) Qui sub veteri Lege castitatem servarunt, ut Elias, Daniel aliique, eam verisimilius nunquam voverunt. Hæc est communis Theologorum sententia eique SS. Patres aperte favent. Cfr.

Secundo, maximo illam zelo custodivit : *Quomodo fiet istud, etc.;* ideo domi manebat, ideo Hortus conclusus et Porta clausa dicitur : pete externorum et internorum sensuum custodiam. — Tertio, impuras aliorum cogitationes suo aspectu pellebat : pete ut tua conversatione castitatis amorem ingeneres in aliis.

Nona Meditatio.

Septima virtus, Fortitudo.

Recitato Ave, petemus Fortitudinem, qua Beata Virgo enituit, Primo, in Christi Domini morte, ut te doceret in tribulationibus et in divino obsequio difficultates omnes superare.— Secundo, in injuriis a Judæorum gente collatis : disce injurias perferre. — Tertio, in serviendo Filio suo omnibusque Christianis juvandis : disce amare labores pro Dei gloria, et animarum salute.

Decima Meditatio.

Octava virtus, Paupertas.

Ave dicto, pete Paupertatem, qua Beata Virgo enituit, cum paritura Dei Filium in stabulum coacta fuit secedere : et tu paupertatis

Theophilus Raynaudus tom. 7 oper. p. 34; Suarez tom. 2 de Incarnatione, disp. 6 sect. 3; Sylvius in 3am P. S. Thomæ qu. 28 art. 4; Vasquez ibid. disp. 124 cap. 5; Petavius de Incarn. lib. 14 cap. 4 n. 8. Etc.

effectum experieris libenter. — Secundo, cum se omni humana ope destitutam sensit, sive cum Filium suum morti traditum sequeretur : tu quoque, deficiente humano auxilio, innitaris divino.

Undecima Meditatio.

Pater noster, ad Spiritum Sanctum.

Recitato Pater, pete a Spiritu Sancto gratum animum erga Beatam Virginem, cui multum debemus ; quia Primo cooperata est nostræ Redemptioni, conformando, pariendo, lactando Filium Dei, eique serviendo. — Secundo, ut Mediatrix nostra, peccantes nos Deo reconciliando.—Tertio, quia ut castrorum acies ordinata, insidiantes dæmones fugat, adversaque omnia a nobis repellit. — Quarto, ut Mater amantissima nostris malis a Deo medelam impetrat.

VIRTUTES B. VIRGINIS ERGA PROXIMUM.

Duodecima Meditatio.

Nona virtus, Charitas fraterna.

Post Ave petimus Charitatem quæ in ea eluxit. Primo, in desideranda quærendaque omnium hominum salute : imitaberis desiderium et studium alienæ salutis. — Secundo, in adjuvandis aliis, ut S. Elisabeth et sponsos

in nuptiis Canæ, cum vinum non habebant : imitaberis promptitudinem, quoties serviendum erit aliorum commodis.

Decima tertia Meditatio.

Decima virtus, Obedientia.

Ave recitato, petimus à B. Virgine Obedientiam, qua ipsa excelluit, cum describeretur universus orbis, obediendo Imperatori ethnico Mater Dei, ut doceret obedire Superioribus, non solum bonis, sed etiam dyscolis et malis.— — Secundo, in purificatione quærenda post partum, cum illa lege non esset adstricta ; ut te doceret obedire legibus, quibus teneris. — Tertio, obediendo S. Joseph sponso, sive fugiendum esset noctu in Ægyptum, sive Nazareth redeundum, sive quid aliud agendum; ut te doceret obedientiam cæcam erga Superiores tuos.— Quarto, curando ut Filii sui præceptis alii obedirent, ut in nuptiis dixit ministris : *Quodcumque dixerit vobis, facite;* ut te doceret, laborandum etiam tibi esse, ut ab aliis obediatur Superiorum mandatis.

Decima quarta Meditatio.

Undecima virtus, Misericordia.

Post Ave, petimus a B. Virgine Misericordiam, et benignum animum quo prædita ipsa

fuit, quia Primo, esurientes cælesti pane in Filio suo pavit, et eumdem dedit infirmorum medicinam, pretium captivorum, etc. Sic tu succurre miseris in rebus spiritualibus et corporalibus. — Secundo, eorum miserendo, qui afflictionibus (quas ipsa, dum esset inter nos, experta est) agitantur; ita tu animo commovere in alienis necessitatibus et miseriis. — Tertio, accepta a Filio dona cælestia nobiscum liberalissime communicavit : ita tu quæ gratis accepisti, da.— Quarto, dicitur Mater misericordiæ, quia in cælo pro peccatoribus exorat : ita tu fac similiter in orationibus tuis.

Decima quinta Meditatio.

Duodecima virtus, Modestia.

Recitato Ave, petemus a Beata Virgine Modestiam, qua illa tum in conversando, tum in colloquendo fuit exornata. Primo, a Sancto Dionysio Areopagita tanti habita fuit, ut visam Beatam Virginem tamquam Deam adorasset, nisi fide prohibitus fuisset (1).—Secundo, cum hominibus raro, et de rebus tantum necessariis loquebatur; et cum Deo sæpissime, orando et contemplando.—Tertio, nil temere effundebat, singula verba expendebat; ut verissime dictum sit a Sancto Luca, quod in corde suo omnia conferebat. Voces illius erant 1° utiles, ut in

(1) Vide supra p. 94.

Incarnatione Verbi, in sanctificatione Joannis Baptistæ, in nuptiis Canæ. Erant 2° pudicæ, ad suam virginitatem conservandam : *Quomodo fiet istud.* 3° Humiles, *Ecce ancilla Domini, etc.* 4° Humanæ et misericordes, in salutatione Elisabeth; et in nuptiis, *Vinum non habent.* 5° Laudantes Deum, *Magnificat, etc.* His dotibus verborum B. Virginis consideratis, petes ab eadem, ut suis precibus eam tibi loquendi rationem impetret, qua ejus voces sanctissimas exprimas imitando.

MODUS RECITANDÆ SALUTATIONIS ANGELICÆ, EX SECUNDO MODO ORANDI B. P. N. IGNATII.

Prima pars,

Ave Maria.

Primo, adora Mariam, quæ interpretatur *Stella Maris*; nam polare veluti sidus periculosam vitæ hujus navigationem, si attente inspicias, dirigit ad æternæ vitæ portum. *Illuminatrix;* nam virtutum suarum exemplo, solis instar, ab bene operandum prælucet. *Domina;* cujus in superna curia auctoritas est maxima. — Secundo dole, 1° quia naufragus in hoc mari, sideris hujus ductum non quæris; 2° quia in tenebris ignorantiæ mersus, Illuminatricis hujus radios non optas; 3° quia indigens alieno

patrocinio, supremum hujus Reginæ, cui nec facultas, nec scientia, nec voluntas tibi auxiliandi deest, patrocinium non desideras. — Tertio, spera ab hac *Domina* auxilium ad expugnandos hostes spirituales ; ab hac *Illuminatrice* lucem ad te Deumque cognoscendum ; ab hac *Stella maris* cursum securum ad portum salutis. — Quarto, gratias age Deo et Beatæ Virgini pro his beneficiis, Mariæ nomine comprehensis. — Quinto, pete a Deo, ut velit te *duci* ab hac Stella totius mundi, *illuminari* ab hac Illuminatrice totius mundi, *regi* ab hac Domina totius mundi.

Secunda pars,

Gratia plena.

Primo, adora Beatam Virginem, et in illa gratiæ divinæ plenitudinem, cujus intellectus fidei lumine, voluntas charitatis ardore, memoria divinorum beneficiorum recordatione, appetitus concupiscibilis temperantia, irascibilis quiete maxima, oculi simplicitate columbina, aures attentione ad Dei vocem, lingua moderato sermone, gustatus sobrietate, tactus pudicitia, pedes diligentia, manus bonis operibus, conversatio virtutum exemplis, et omnia denique plena sunt virtutibus, et donis Spiritus Sancti. — Secundo, dole paupertatem tuam, qui gratiam vel rejicis, vel permittis otiari, quam ob causam miseriis plenus es, et totus inanis gratia.

— Tertio, spera Mariæ precibus eam tibi, quæ decet, gratiæ plenitudinem esse concedendam. — Quarto, gratias age Deo, qui Mariam, tamquam vas cælesti plenum rore exposuit, ut inde gratiam omnes haurirent. — Quinto, pete à Beata Virgine cælestis hujus roris guttam, ut gratus et amicus Deo sis, stabilis et ditior in dies post acceptam gratiam.

Tertia pars,

Dominus tecum.

Primo, adora Beatam Virginem, quia Deo maxime est unita, corpore in Incarnatione, spiritu in intellectu rerum divinarum cognitione illustrato, voluntate Deo maxime conformi. — Secundo, dole, quia Dominus a te vel lethali culpa ereptus, tecum non fuit semper, vel quia a lethali culpa immunis, Dominum (ejus gratia cuncta faciens) præsentem non habueris. — Tertio, spera per Beatam Virginem, quæ proxima Deo est, summam cum ipso unionem. — Quarto, gratias age Beatæ Virgini, quod Deum a nobis maxime remotum ad nos attraxit. — Quinto, pete ut te absolute charitatis glutine Deo uniat, ejus sequendo voluntatem.

Quarta pars,

Benedicta tu in mulieribus.

Primo, adora Beatam Virginem benedictam,

1° in sanctis cogitationibus Cordis; 2° in linguæ piis verbis; 3° in operibus ad divinæ legis regulam consummatis; 4° in animi demissione; 5° in partu Redemptoris, a quo omnis benedictio in genus humanum derivata, quibus benedictionibus Evæ maledictiones destruxit, quæ præcesserunt primo, in ejus cogitata defectione; secundo, vocibus ad dæmonem prolatis; tertio, operibus divino præcepto contrariis; quarto, superbia Deo resistente; quinto, peccato ad posteros transmisso. — Secundo, dole ob eas in quibus natus es maledictiones, 1° spirituales, scilicet intelligentiam excæcatam, voluntatem distortam, appetitiones effrenes, sensus depravatos; 2° corporales, scilicet morbos, egestatem, mortem. — Tertio, spera te omnem a Deo benedictionem per Beatam Virginem impetraturum. — Quarto, gratias age, quod in nos a Christo per Beatam Virginem tamquam a capite (Ecclesiæ) per collum (1) in corpus, multæ benedictiones transfunduntur. — Quinto, pete a Beata Virgine, ut ab ejus Filio judicandus, audias cum electis : *Venite benedicti, etc.*

Quinta pars,

Et benedictus fructus ventris tui Jesus.

Primo, adora Beatam Virginem, quæ arbor

(1) Hac similitudine usi sunt Albertus Magnus, Gerson. S. Bernardinus Senensis, Bellarminus, et alii multi. Vide Marracci op. cit.

est vitæ, et Christum Jesum arboris hujus fructum, qui vita nostra est. — Secundo dole, quia animæ tuæ gustatui non est suavis fructus hic suavissimus, et dulciores tibi sunt terrenæ voluptates, quam cæleste hoc nectar. — Tertio, spera a Beata Virgine animæ tuæ fecunditatem, et a fructu ventris ejus, fructus vitæ æternæ. — Quarto, gratias age B. Virgini, quæ vera terra promissionis est, lacte et melle manans, pro fructu nobis producto. — Quïnto, pete fructuum spiritualium copiam et feracitatem longe majorem.

Sexta pars,

Sancta Maria Mater Dei.

Primo, adora in B. Virgine supernam hanc divinæ Matris dignitatem. — Secundo, pudeat te vilitatis tuæ, coram hac suprema Regina. —Tertio, spera B. Virginem, quæ Deum effecit fratrem nostrum, te in filium accepturam. — Quarto, gratias age B. Virgini, quia peperit nobis Redemptorem, et quia personam humanam ad infinitam divinæ Matris dignitatem evexit. — Quinto, pete a Beata Virgine Dei Matre, ut te divinæ voluntati obsequentem reddendo, filii sui quodammodo matrem faciat, dicente Domino : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*

Septima pars,

Ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

Primo, adora B. Virginem, quia Patrona nostra est, quia Dei hominumque conciliatrix, quia divinorum beneficiorum impetratrix. — Secundo, dole, quia ex tantæ Reginæ patrocinio, nullum tu, tua culpa, in te auxilium utilitatemque derivas. — Tertio, spera te a Deo impetraturum, quidquid B. Virgine causam tuam agente, a Deo petieris. — Quarto, gratias age B. Virgini pro diligenti cura, qua nos protegit. — Quinto, pete a B. Virgine Maria, 1° ut velit in sua clientela esse status omnes Ecclesiasticos et laicos, vivos et defunctos, affines, benefactores, persecutores, denique eos omnes, qui nostras exquirunt preces; 2° ut impetret nobis nostrorum erratorum veniam a Deo; 3° ut divinæ voluntati omnium hominum voluntates obsequentes reddat; 4° ut vitæ extremo tempore præsens nobis esse velit.

Dic novies, *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium,* ad honorem novem mensium, quibus Christum portavit; et novem genuflexiones facias.

Visita septem templa dedicata B. Virgini.

Recita ter Ave, primum ad honorem instantis, in quo sine peccato originali est concepta; secundum ad honorem instantis, in quo facta est Mater Dei; tertium ad honorem illius instantis, in quo unita fuit Filio post mortem.

Actuare me sæpe in his actibus, velle me amare B. Virginem, etiam per totum Rosarium.

Affige imagini B. Virginis chartulam, in qua scripta sit necessitas tua, cum aliquo dono.

Oratio ad Angelum Custodem.

Angele sancte, Deo dilecte, qui me tuæ beatæ curæ ab ortu meo commissum, perpetuo protegis, illuminas, regis : ego te Patronum veneror, custodem amo, tuæque me devotioni subjicio, ac prorsus trado gubernandum. A te ergo per Jesum Christum peto suppliciter, ut me, quamvis ingratum, et contra tua monita agentem, ne deseras : sed benignus errantem dirigas, ignorantem erudias, jacentem erigas, afflictum soleris, periclitantem liberes, donec in cælum ad æternam felicitatem perducas. Amen.

APPENDIX

EX PROCESSIBUS QUI IN CAUSA

VENERABILIS JOANNIS

CONFECTI SUNT.

§ 1. *Testimonia aliquot de priore parte vitæ Ven. Joannis, quam egit in Belgio.*

Valerius van Stephout, Rector Scholæ Diestensis et magister Ven. Joannis per aliquot annos, sic scribit de discipulo suo (1) :

« Joannes hic Diesthemii oppido Brabantiæ non ignobili, anno 1599 in lucem editus est, patre Joanne Carolo

(1) *Summarium super signatura commissionis introductionis causæ Ven. Servi Dei Joannis Berchmans.* Romæ. Ex typographia R. Cameræ Apostolicæ. 1745. pag. 20 sqq. Coaluit hoc Summarium ex Processibus qui ante introductionem causæ confecti fuere. Horum præcipui sunt, 1° processus ordinarius Romanus anni 1622, jubente Gregorio XV inchoatus. 2° Processus ordinarius Antverpiensis anni 1625, quem construi jussit Joannes Malderus Antverpiensis Episcopus. 3° Processus ordinarius Romanus anni 1742. Introducta causa construi cœperunt de more Processus Apostolici, quorum pars aliqua excusa est in Summariis quæ super virtutibus et miraculis edita sunt.

Berchmanno, viro perhonesto et avo ejusdem nominis, quorum hic magistratu cum laude, ille et magistratu (1) et ædilitate sacra majoris templi in eodem oppido perfunctus et ad extremum, mortua conjuge, sacerdotio inauguratus est; matre N. Hovia femina optima et pientissima, cui pater N. Hovius vir consularis (2) fuit. Decimum ætatis annum ingressus, a parente in meam disciplinam traditus est, nam ætas superior sub elementariis magistris transacta. Initiabatur tum a me primis studiorum progymnasmatibus, sive grammaticalibus, quæ ita avide et prompte hausit ut condiscipulos et longe prægressos quam brevissimo tempore assequeretur, et cursu pares longo post se intervallo relinqueret, natura videlicet optima ei adminiculante. Quippe ingenium ei docile admodum et pronum capere quidquid instillabatur; adeo ut quod alii magno vix labore, iste semel auditum ac lectum imbiberet, et de memoria recitaret... Utebatur id temporis domestica consuetudine

(1) Avus Ven. Joannis designatus est Scabinus Diestensis anno 1595, et ejus pater anno 1608. De his constabit ex monumentis quæ ad calcem Appendicis adducentur.

(2) Adrianus vanden Hovę, avus maternus Ven. Joannis, Consul Diestensis constitutus est anno 1592. Hujus familiæ insignia gentilitia cernuntur etiamnum in Templo S. Sulpitii Diestensis, tumulo insculpta Joannis Quints et Elisabeth vanden Hove, in quorum scuto sinistram partem occupant. Hæc enim Elisabeth matris Ven. Joannis patruelis fuit, seu ex patris illius fratre genita est. Contractum tamen nomen in epitaphio est et arctationis nota syllabæ *van*, ut fieri consuevit, superscripta, sicque etiam compendii gratia frequenter pronuntiatum fuisse, ex multis documentis manifestum est. Hæc porro causa est cur initio hujus Vitæ scriptum fuerit van Hove, loco vanden Hove; tum enim genealogia hujus familiæ, a viro rerum Diestensium peritissimo centum et septuaginta abhinc annis conscripta, quæque ad calcem Appendicis edetur, nondum præ manibus erat.

D. Pastoris ædis Deiparæ Virginis, Petri Emmerici, a cujus latere discedebat numquam, quem uti parentem filius venerabatur, cum quo frequens et alacer Aspricollem Virginem voti reus adibat, cui operanti sacris operam lubens et lætus semper impendebat; nusquam ut sæpius quam in templo, nusquam ut rarius quam in plateis conspiceretur. Induerat jam animo cultum B. Virginis et in altari ejus cultui proprie dicato, quotidie flexis genibus pensum precum Divæ persolvebat. Egredi quoque templo, non salutata inibi Virgine religioni habuisset, ut non dubitandum sit, quin ex eo tempore Dei Parens hunc suum clientulum in fidem et tutelam receperit... Innocentiæ ejus non minus præclarum, quam luculentum testimonium D. Haymo Timmermans Archipresbyter territorii Diesthemiensis, Illustrissimo Archiepiscopo Hovio (1), dum viveret, percarus perque familiaris, dedit. Is cum puerum hunc intime explorasset, et fortasse aliquid non mortale in eo observasset (quod domestica consuetudine nemo illo poterat melius, ut quem laris, foci et mensæ participem (2) quotidie haberet) dixisse aliquando fertur astantibus : *Puer iste Angelus est.* »

R. D. Petrus Emmericus Canonicus Regularis Abbatiæ D. Virginis in Tongerloo Ordinis Præmonstratensis, olim Pastor in Sancta Maria oppidi Diest, postmodum vero Pastor dominii de Tilborgh : « Joannes Berchmans Diestensis, dum annum ætatis ageret quasi undecimum a parente (viro optimo) traditus est disciplinæ et fidei

(1) Hujus nomen vulgare idem fuit ac avi et matris Ven. Joannis, sed Mechliniæ natus est, nec quidquam est, præter nomen, quod suadeat illos consanguineos fuisse. Cfr. Van Gestel, *Hist. Archiep. Mechliniensis* p. 54 et *Le grand théâtre sacré de Brabant* tom. 1, p. 21 et 51.

(2) Vide supra p. 24 et 25.

prædicti Pastoris Diestensis, in cujus ædibus et convictu per triennium mansit... Dum in Ecclesia Altare, vel Imaginem B. Virginis transibat, salutabat precibus B. Virginem, flexisque genibus Imaginem non vulgari cultu prosequebatur, et attente contemplabatur, dumque subinde cum suo domino iret versus B. Virginem Aspricollis, silentio illud iter peragebat, vel certe Rosarium volvebat. Ductus quadam vice a suo domino Silvamducis (1), itabat ad Templa plurima etc. Ad mensam libenter legebat Proverbia Salomonis, Vitas Sanctorum, meditationes in Passionem Christi, eamque lectionem ut plurimum in cubiculo seorsim recolebat. De humilitate ejus hoc notandum putavimus, quod antequam communicaret Corpori et Sanguini Domini, a suo domino veniam offensarum peteret. »

Carolus Christynen S. J. « Quod noverit Joannem Berchmans piæ memoriæ ex eo quod novem circiter mensibus ante ingressum Societatis cum eo studuerit Rhetoricæ et simul cum eo acceperit præmium, ille primum et Deponens secundum. »

Otto Esquens S. J. : « Quod tametsi essent plurima ingenia præstantia in Rhetorica dictus Joannes Berchmans plerumque fuerit primus et primum obtinuerit præmium. — Quod antequam proficisceretur Romam dictus Joannes, Deponens illi primum significaverit mortem patris illius, et quod magno cum affectu responderit : *Nunc potero melius dicere cum S. Francisco, Pater noster qui es in cœlis.* »

Nicolaus Gregorius S. J. : « Quod cognoverit Joannem Berchmans piæ memoriæ ex eo quod cum illo fuerit per integrum annum vel circiter, in Novitiatu dictæ

(1) Hospitatus est illic in domo Arnoldi Hesii Secretarii Silvæducensis. Summar. cit. p. 14.

Societatis. — Sibi constare ex conversatione cum dicto Joanne Berchmans, quod fuerit valde devotus et pius erga Deum et Sanctos et præcipue erga B. Virginem ; quod sæpius detraxerit recreationi hebdomadariæ tempus ad dicendum Rosarium cum duobus sociis, et quod tempore recreationis semper de rebus piis loqueretur, aliosque ad loquendum de iisdem solerter induceret. Et quod frequentarit Sacramenta Confessionis et Communionis juxta morem dictæ Societatis summo cum affectu, exsultans præ gaudio cum ille dies adesset, et quod ita promoverit cultum Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ, ut novitii confertim, peracto examine vespertino, ad salutationem Venerab. Sacramenti ejus exemplo se conferrent, uti etiam Deponens; denique maxime orationi deditum fuisse, causam scientiæ dicens, quod statim ab hora quarta, media hora prævenerit tempus orationis, et quod devotissime illum repererit immoto corpore orantem, magna cum modestia plane ad pietatem compositum. — Quod fuerit magno amore et charitate in Deum et proximum, et magna humilitate, desiderio et gaudio obierit vilia officia, vestem vilissimam nominans vestem nuptialem, et iis gratulabatur qui habebant vilem vestem, uti Deponenti hac de causa gratulatus fuit magno cum affectu; et quod ita seipsum deprimebat et alios exaltabat, ut Deponens admiraretur tantam humilitatem cum suavitate conjunctam; quod abstergens lampades summo cum gaudio id fecerit, dicens quod optaret illud medio in foro facere. »

Henricus de Vriese S. J. : « Se scire prædictum Joannem Berchmans ingressum esse dictam Societatem ex eo quod eum duxerit ad Novitiatum quando admissus fuit, et ex notitia quam de eo habuit ante ingressum, scire se exemplariter eum in sæculo vixisse et bis in septimana confessum fuisse et communicasse post agnitam voca-

tionem ad Religionem, idque in gratiarum actionem et pro impetranda perseverantia in eadem. — Quod intellexerit illum Romæ defendisse totam Philosophiam magna cum laude. — Se scire etiam eum fuisse magno amore erga Deum, idque ex eo, quod Deponenti narraverit pridie quam ingrederetur Religionem, se eo nomine aliquam difficultatem habere cum parente, ac magno affectu Deponenti dixit : *Egone Deum desererem me vocantem, qui tantum sanguinis pro me effudit? Imo, si opus esset, has vestes ad pedes parentis conjicerem* (1).

Joannes de Bugre S. J. : « Quod noverit Joannem Berchmans piæ memoriæ ex eo quod eidem cohabitaverit Mechliniæ in Collegio Societatis in Novitiatu per totum biennium. — Quod in eadem Societate tam exemplariter vixerit, ut ipse Deponens obstupesceret ad tam perfectum ejus modum agendi, et quod ceteri fratres videbantur eidem Deponenti satis imitabiles, sed cum dictum Joannem Berchmans inspiceret diligentius, diffidit se eum posse imitari. — Quod dictus Joannes Berchmans visus fuerit Deponenti magni ingenii et judicii, quod collegit ex ejus prudentia in modo agendi cum aliis fratribus. Quoad ejus humilitatem dicit, quod vehementer delectabatur vilibus officiis et vestibus, et quod Deponenti dixerit, cum de humilitate tractarent, illos vere humiles esse, qui cum sint humiles, non volunt pro talibus haberi. — Quod semper colloquium fecerit de Deo, Beata Virgine et Sanctis, et quod vehementer afficeretur erga Immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis, quodque Deponenti tempore recreatio-

(1) Recordatus est hic Ven. Joannes gestorum S. Francisci Assisiatis, uti etiam quando duobus post annis, audita morte parentis, ejusdem Sancti dicta usurpavit (supra p. 312). Vide Butler ad diem 4 Octobris tom. 14 p. 406 edit. Lovan. 1851.

nis, cum die illo communicassent, dixerit se communicasse ad intentionem, ut Dominus Deus augeret devotionem in animis hominum erga Immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis, quia nos decet, inquiebat, qui sumus filii tantæ Matris, ipsam defendere ab ea parte, quæ ab adversariis magis impugnatur; addens quod Sacramenta Confessionis et Communionis frequentaverit more dictæ Societatis, idque admodum pie et clausis fere semper oculis. »

P. Guilielmus Bauters, Rector et Confessarius Servi Dei in Tirocinio Mechliniensi (1) : « Suavem illam cum Deo communicationem, quam ex orationis spiritu nasci affirmabat, pro certissimo omnium imperfectionum habebat remedio (2). Quamvis foris ambularet exercitii gratia, animus domi fere semper erat, quam cum redux conspiceret, illud B. Aloysii decantabat : Hæc requies mea. Ajebat metuere se ne de vocatione periclitaretur, si vel minimum de fervore, singulari Dei gratia indulto, remitteret.

« Domi summo cum omnium desiderio et exspectatione de piis rebus loquebatur; vel enim de spiritualibus agebat semper, vel modeste tacebat, idque jam Romæ evicerat apud omnes etiam seniores, ut eo adveniente in gratiam ejus, de rebus spiritualibus agerent, multosque hac ratione ex nostris in spiritu juvit. Videbatur rapi cum in colloquia incideret vel de B. Virgine vel de beneficio vocationis, quod persæpe indicabat interni fervoris præco, rubor genas perambulans; præcipua deinde

(1) Summar. p. 31 et 86 sqq.

(2) Vix ullum utilius axioma in vita spirituali esse quam illud, ex scriptis Sanctorum et ascetarum doctrina haud difficile ostenderetur; ex quo etiam discimus, cui rei præ omnibus aliis tam perfecta Joannis vita et immobilis in virtute constantia tribui debeant. V. supra p. 40.

ejus colloquia de Venerabili Sacramento, de Sanctis nostris, de magnis meritis nostrorum Fratrum Coadjutorum, quibus se sancte invidere dicebat ob magnam quam habent se humiliandi et omnibus charitatem exhibendi occasionem; demum de missione ad Indos ad quam se anhelare sæpe magno affectu significavit. Solebat mire sollicitus esse, ne quid Fratribus Coadjutoribus, maxime circa spiritualem instructionem decesset. Tradebat iis præcepta virtutum, quas non uno impetu conquiri ajebat, sed multa sensim fieri posse, et in se afferebat exemplum, quod primo tirocinii anno didicisset abstinere jentaculo, quotidie bolum unum detrahens, ita ut sequenti anno sine ulla difficultate quotidie jejunus in prandium perduraret (1). Si quid novi aliquando nactus esset, v. g. de missionibus Indicis, Coadjutores plerosque, dum Præfectum ageret, apud se in recreatione detinebat, ut cum iisdem quæ didicerat communicaret.

« Cum esset Præfectus Novitiorum, ita omnibus placebat ut nullus de eo unquam nec clam nec palam conquestus sit. Occurrentibus peculiares semper pietatis motus injiciebat, dum quasi divinum quid ex oculis, facie ac universo homine emicaret, et hujus rei omnes, qui cum eo vixerunt aut subinde egerunt, fuerunt admiratores.

« Cum eum e Societate ad illustrandam augendamque familiam parens pelliceret, *Eja Pater*, inquit, *quin animum potius ad æternas divitias adjicis, quas pro exiguo labore Deus cumulatissime rependet?* Parens his motus non jam a Societate eum avellere, sed ipse in ea vitam agere optabat (2).

(1) Romæ tamen, deficientibus viribus, subinde coactus est abstinentiam illam moderari. Cfr. Summar. cit. p. 113.

(2) Societatem ingressus est postmodum alter ejus filius, nomine Carolus, sed post mortem parentis, et ut verisimillimum est, etiam post mortem Joannis.

« Plurimos ante initam Societatem de æqualibus suis ad Virginis Sodalitium adduxit; in dies Beatissimæ Matri psalterium D. Bonaventuræ recitabat, testatus speciatim iis se affici, quos egregios Virginis cultores observaret; hanc in communi sermone honorificentissime semper jam Dominam, jam Reginam, frequentissime vero pro affectu Matrem appellabat, illi opera sua diurna dirigenda committebat. Duo se observare ajebat in eorum vita qui nostra ætate sanctitate fuerunt admiranda, cultum Beatissimæ Virginis et Venerabilis Sacramenti. Videtur natus fuisse ad propagandum honorem Beatæ Virginis. Cum multis convenit de excitando ejus cultu in terris, exemplis, catechismis etc.; vix aliqua recreatio præteribat quin ipse et alii illi, quos dispergebat existens Præfectus novitiorum, de ea loquerentur aut exemplum aliquod narrarent. Eidem adscribebat educationem, progressum in studiis, vocationem, per eam sperabat salutem, sine qua propemodum desperabat (1). Ita ipse. »

(1) Similia habent S. Ephrem, S. Joannes Damascenus, S. Bernardus et alii Patres. (Cfr. S. Alphonsus de Ligorio, *Gloires de Marie* chap. 3 et 5; Illustriss. D. Malou, *SS. Patrum pietas Mariana*, et *Scripta Mariana S. Bernardi*, passim; Marracci, *Polyanthea Mariana*. Etc.) Hujusmodi autem verba, Sanctorum humilitatem produnt et gratum animum erga B. Virginem, quasi nempe ob peccata et indignitatem suam, nisi clementissima Virgo intercessisset, a Deo fuissent derelinquendi. Cultum enim Virginis, si præclarus sit, penes humiles potissimum requirendum esse, res est satis nota. Quocirca mirum non est eum a protestantium antesignanis ab initio oppugnatum esse et rejectum, sed novimus an illi ab humilitate multum fuerint commendati; scriptores vero catholici, qui eum tuiti sunt, tam modestia quam doctrina fuere insignes. Certe nihil adeo magnum in eo, ut Deo reverentiam qualemcumque exhibere se velle homines in scriptis aut sermone profiteantur, sed quod eum opere et veritate colant, et ob ejus cultum et amorem, quæcumque diligit, ipsi etiam diligant, ac Sanctos ejus et præ omnibus Virginem

P. Jacobus Tirinus, Præpositus Domus Professæ Antverpiensis : « Novi Joannem Berchmans Mechliniæ et Antverpiæ annis 1617 et 1618, siquidem Religiosus fuit nostræ Societatis et aliquando etiam Antverpiæ in Collegio habitavit, in qua civitate ego tum Præpositus eram Domus Professæ, ac frequenter cum eo et familiariter conversatus sum, usquedum exeunte anno 1618 Romam profectus est. Hunc vero scio multis ac variis

Deiparam tanta veneratione prosequantur, insignis est fidei et humilitatis. Patres autem modo laudatos et quicumque in Deiparæ cultu excelluerunt, ex fide viva, ex humilitate, ex cognita Virginis potentia et ad grati animi significationem adeo ad illius cultum fuisse affectos, patebit ex rationibus aliquot hanc fere in rem breviter a Suarezio deductis. « Quod aliquando per Virginem ad Deum accedamus, inquit, etiam illi placitum est et per se conveniens. Primo ob majorem reverentiam Divinæ majestatis, ut significavit Bernardus locis supra citatis (v. c. serm. de Nativ. Mariæ : *Ad Patrem verebaris accedere, Jesum tibi dedit mediatorem, sed forsitan et in ipso majestatem revereare Divinam, advocatum habere vis et ad ipsum, ad Mariam recurre*). Secundo propter Matris honorem. Ut enim Deus amicos suos honoret, interdum per eos facit, quod sine illorum intercessione non concedit, sicut eum legimus fecisse cum Abraham et Abimelech Genesis 20, et clarius cum Job et amicis ejus (Job 42) : *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam etc.* Tertio ut dignitas intercessoris suppleat inopiam nostram, unde Virginem interpellare non est de Divina misericordia diffidere, sed de propria indignitate et indispositione timere. Unde Bernardus dicta homilia (secunda) in *Missus est, Si*, inquit, *criminum immanitate turbatus etc.*, et eodem sensu dixit in serm. de Nativ. Mariæ : *Hæc peccatorum scala*, (cumque seipsum inter peccatores etiam adnumeraret, pergit) *hæc tota ratio spei meæ.* » Disp. 23 sect. 3.

Alibi vero perspicue exponit cur laudes nonnullæ B. Virginis a SS. Patribus pronuntiatæ, cujusmodi est postrema illa S. Bernardi, carpi non debeant. Sic itaque sibi objicit : « Sed Ecclesia videtur hanc adorationem (Christo propriam) Virgini

virtutibus ornatum fuisse, imprimis obedientia, quam exhibebat non erga Superiores tantum, sed etiam erga minimum quemcumque Societatis Fratrem, adeoque erat humilis, ut semper omnibus se submitteret et omnia infima nostræ Religionis obsequia exercere vellet. Quocirca Religiosi nostri et sæculares etiam tantam ejus humilitatem et obedientiam admirabantur. Audivi a

tribuere, dum eam vocat spem nostram, matrem gratiæ, ac talibus titulis eam honorat ac si ipsa esset author gratiæ et salutis, quod pertinet ad cultum latriæ. Et similia reperiuntur in SS. Patribus... S. Ephrem, oratione de laudibus B. Virginis eam vocat *gaudium*, *salutem et pacem mundi*, et pleraque id genus in superioribus allata sunt. » Respondet vero « in his omnibus non verba, sed verborum sensum esse attendendum. Quamquam enim etiam inter homines, inquit, eodem verbo petamus a Rege et ab amico Regis, ut nostri misereatur vel nos adjuvet, tamen non idem respectu utriusque significamus, neque idem ab utroque postulamus, sed alterum ut faciat, alterum vero ut intercedat rogamus. Sic igitur Ecclesia et Patres loquuntur ad Virginem, quam etiam, ut supra vidimus, interdum vocant *reparatricem* ac *mediatricem*, non immediate et per se, sed per Christum, quia Redemptorem nobis genuit et apud illum plurimum valet. Quæ mens et sensus Ecclesiæ tam est per se perspicuus et omnibus notus, ut propterea Sancti nihil formident illis modis securissime loqui. » Disp. 22 sect. 3.

Liceat demum in illius gestis qui adeo in colenda Virgine eminuit, duo insuper advertere. Primum est, Dei voluntatem esse manifestam ut B. Virgo supra omnes Sanctos colatur ingenti fiducia et affectu, quod ex scriptis SS. Patrum, ex usu Ecclesiæ et sententiis quas in Officio usurpat, ex innumeris denique miraculis nullo negotio conficitur. Alterum, privilegia omnia B. Virginis his verbis explicari et comprobari : Maria est mater Dei. « In his disputationibus de Beata Virgine, inquit Suarez (Disp. 1), præmittere oportet illam esse matrem Dei et explicare qualis et quanta fuerit hæc dignitas, et quomodo ad illam fuerit Beata Virgo prædestinata : quoniam ex hoc fundamento ratio omnium quæ de Virgine dicemus, sumenda est. » Qui igitur Mariam co-

Patribus, qui cum eo vixerant, eum frequenter Superiorem suum insignes quasdam mortificationes rogasse. Adeo etiam pius ac spiritualis erat, ut semper videretur Deo mente unitus, non tempore orationis solum, sed in quavis alia occasione; et ut summatim dicam, non tantum a Patribus Societatis, sed ab aliis etiam qui eum noverunt, ut insignis Religiosus ac Dei Servus et ut Sanctus habitus est, et ego quidem, qui hæc refero ut Testis, semper eum Sanctum existimavi. Sic judico tum quod ipse eum novi, tum quod inter Patres nostræ Religionis hanc esse famam comperi (1). »

P. Philippus de la Coltura Religiosus Professus Ordinus Minorum S. Francisci de Observantia : « Cum igitur in Belgio tum versarer (2), plurimi Patres ejusdem Religionis, Mechliniæ præcipue, ubi dictus Joannes stu-

luni, eam ut Dei Matrem colunt, et Sancti, qui eam laudibus extulerunt, tanto magis Deum ipsum laudabant ac diligebant, mandata illius et quidquid in perfectione summum est religiosissime observantes; quod ex eorum vita, puta SS. Ephrem, Cyrilli, Damasceni, Bernardi, Anselmi, Bonaventuræ, Dominici, Alphonsi de Ligorio et aliorum multorum luce meridiana clarius est.

(1) Summar cit. p. 30. Tirinus, cujus passim obvius est Commentarius in Scripturam sacram, anno 1615 interfuit Congregationi generali septimæ, annos natus solum 35, sequenti renuntiatus est Præpositus Domus Professæ Antverpiensis et anno 1622 iterum deputatus ad Congregationem Procuratorum; quo tempore in Processu Romano testimonium dixit. Ejus porro testimonium, non secus ac ceterorum, qui in Processibus Romanis ut testes sunt auditi, italice exceptum est, et eadem lingua scripta sunt pleraque testimonia extrajudicialia, ut vocant, quæ iisdem Processibus annectuntur et quorum pars aliqua in Summario super Introductione causæ et in Positionibus est recusa. Quæ igitur ex his omnibus deinceps proferuntur, paucis exceptis, ex italico latine sunt versa.

(2) Anno 1621, vel 1622, nam hæc retulit ut Testis juratus in Processu Romano anni 1622.

duerat, mihi dixere se eum cognovisse et Angelum Paradisi eum fuisse, siquidem adeo perfecte se gerebat et tam erat devotus et humilis, ut eum omnes ad stuporem usque admirarentur, et insignem Dei Servum existimarent, et ego quidem, ob virtutes superius declaratas, ut certum habeo eum gloriosum esse in cælis. Tantam etiam devotionem erga eum et famam sanctitatis in illis regionibus comperi, ut permulti aliquam ejus Reliquiam me rogarint... Religiosi plurimi ac sæculares, inter quos viri etiam genere clari, antequam e Belgio discederem, me rogarunt, ut cum Romam pervenissem, Reliquiam aliquam ex ejus corpore ad illos mitterem, alii multi ut tumulum eorum nomine visitarem etc. Quæ omnia, ut a me relata sunt, vere contigerunt et vera sunt, et hujus rei publica est vox et fama tam Romæ, quam in Belgio et in aliis locis (1). »

§ II. *Testimonia de altera parte vitæ Ven. Joannis quam Romæ egit, deque felici ejus morte.*

P. Joannes Franciscus Bargagli, Præfectus Servi Dei Romæ inter Collegiales novos : « Diligentissimus erat in meditatione quotidiana peragenda, in qua immobilis semper et flexis genibus perseverabat, quin vel pluteo, vel mensæ vel ulli rei unquam inniteretur. Rogavi eum aliquando, cum forte invaletudine aliqua laboraret, cur meditationem institueret de genibus, et non potius sedens vel erectus; respondit non adesse impedimentum quominus morem suum servaret.

(1) Summar. p. 161 et 187. Ex hoc testimonio apparet famam beneficiorum aliquot, ex iis quæ intercessione Ven. Joannis prodigiose præstita feruntur et de quibus infra erit sermo, tum per Belgium jam increbuisse.

« Nunquam ex ejus ore aliquod verbum audivi, quod non ad res necessarias, vel ad studia, aut maxime ad res spirituales pertineret, licet frequenter colloquii tempus cum eo transegerim; semper enim de prædictis rebus fiebat sermo, etiam in Vinea, ubi sæpenumero me vocavit ad colloquendum de rebus spiritualibus aut de studiis, et de spiritualibus quidem magno cum affectu disserebat, ut ex colore vultus et ipsa discurrendi ratione facile cernebatur.

» De aliis alte sentiebat, humiliter de seipso. Semel cum scriberet ad aliquem, qui ejus magister fuerat in sæculo, et virtutes referret eorum quibuscum vivebat et conversabatur, his ipsis verbis absolvit : *Inter hos et ego, Deus bone!*

» Libellum Regularum semper apertum habebat coram se in mensa ad quam studebat, et simul in altero libello notationes aliquot, quas meditando de regulis concipiebat; in tertio denique adscribebat proposita de quibus in oratione deliberaverat et lumina seu spirituales cognitiones quas Deus Dominus noster aliis etiam temporibus ei frequenter immittebat. »

Joannes Paulus Oliva condiscipulus Servi Dei, postea Præpositus Generalis Societatis Jesu et apud quatuor Summos Pontifices concionator Apostolicus (1) : « Inter multa beneficia et gratias quas Divina Bonitas mihi præstitit, insignem illam esse existimo, qua Superioribus meis in animum induxit, ut me ad hoc Collegium mitterent, hospitium non minus virtutum quam litterarum, et qua disposuit, ut sanctus ille et vere angelicus Frater, meus esset condiscipulus, cum hac speciali providentia, ut in plurimis rebus et occasionibus socius ei forem, vel ipse mihi : sic inter Collegiales novos per duos annos, inter veteranos per unum annum simul

(1) Vide supra p. 166.

fuimus, in scholis collegæ repetitionum et per dies aliquot Frascatæ hoc ultimo anno ejus vitæ. Ex quibus omnibus egregiam opportunitatem nactus sum me ipsum emendandi et discendi solidas et perfectas virtutes, quas Deus huic sancto Fratri in gradu tam excellenti concessit.

« Romam advenit Joannes eo ipso die, ni fallor, quo ego in Novitiatu S. Andreæ Deo nuncupavi mea vota Religionis; et cum post duos aut tres dies ad Collegium revertissem, huc etiam advenit bonus et sanctus ille Frater, et in ipso cubiculo quod ego reliqueram, ipsum locum meum accepit, ubi eadem mensa et lectus, ut mihi prius, tum illi usui fuerunt. Arbitror autem Deum id ita permisisse, nam cubiculum illud ipsum erat in quo habitaverat Beatus Aloysius Gonzaga, et vere dignus erat qui cubiculum hujus Beati in hæreditatem acciperet, quippe qui vivam illius adeoque perfectam imaginem virtutibus referre studebat. Inter Collegiales novos statim admirandis virtutibus eminere cœpit... Ego itaque qui noveram miseriam meam et me adjuvare cupiebam, studui cum eo recreationem instituere et magnam inde retuli consolationem.

« Cum pauperibus cibi essent distribuendi (res laboriosa et magnæ humilitatis), promptitudinem Angeli præ se ferebat et penultima qua id præstitit vice, cum ei socius essem, pejora omnia sibi reservavit.

« Extraordinaria erat custodia sensuum, ita ut cæcus videretur, tam domi quam foris, ac licet iis invigilaret ubique, in scholis tamen id præstabat eminenter, et si forte ei aliquid tum dicerem, facie admirationem exprimebat et sic brevissime se expediebat.

« Paupertatem vere amabat ut matrem et ejus cubiculum videbatur non tam cubiculum Joannis esse, quam receptaculum paupertatis, uti ab omnibus, qui illud viderunt, notum est. Res suas scribebat in chartis

et schedis quæ jam partim usui fuerant, vidique eum semper calamis utentem brevissimis et attritis. In triclinio ex singulis ferculis sibi appositis aliquid semper relinquebat. Sæpe vestes laceras ferebat et ultimo anno, cum lampades curaret, tali vestitu et linteo succinctus, recreationis tempore suo officio per domum fungebatur, lætus tam vili habitu comparere, quem ipse æstimabat maxime.

« Quod ad Regulas attinet, adeo accurate eas observabat, ut paratus sim cum juramento asserere, me, quantum memini, per tres annos quibus condiscipuli fuimus et cum eo sum versatus, non vidisse quod vel unam unquam transgressus sit, itemque me nunquam actum aut verbum ullum aliqua culpa infectum advertisse (1). In recreatione, quantum id dabatur, de rebus spiritualibus semper est locutus, ac dicere aliquando potuit, si ex rei ullius molestia ad morbum devenire posset, id fore cum sibi deessent quibuscum de Deo ac de rebus spiritualibus colloqui liceret (2).»

P. Carolus Antonius Tesauri, Superior Servi Dei, inter Collegiales novos commorantis : « In eo quod regula concedit ut obiter et perpaucis aliquid dicatur, adeo erat moderatus, ut non recorder me ea indulgentia utentem vidisse. Cum biennium inter Collegiales novos transigendum absolvisset, quod mense Septembri factum est, monere abstinuit et sic usquedum Superior aliunde id disceret, nimirum usque ad mensem Novembrem circiter inter eosdem remansit. Tum itaque ad Superiorem

(1) « Intorno all' osservanza delle Regole, è stato tanto osservante, che io sono apparecchiato a giurare, che in tre anni che sono stato con lui e suo condiscepolo, non mi ricordo di avergliene mai visto trasgredire neppur una ; come anco di non aver mai visto atto o parola colpabile. » Summar. p. 62.

(2) Ib. p. 42 et 62.

accessit (qui ipse hæc narrat) et facultatem ad veteranos transeundi summa humilitate flexis genibus petiit, pollicitus coronas aliquot, disciplinas aliaque pia opera, quæ in grati animi tesseram scripto consignaverat, se oblaturum, simulque monita et documenta spiritualia eum rogabat, ut in sancto timore Dei et perfecta illius voluntatis observantia semper viveret (1). »

P. Marcus Van Doorne, Confessarius Servi Dei, postmodum Rector Collegii Gandavensis : « In omni opere notabili brevem orationem jaculatoriam et actualem intentionem ex caritate præmittere consueverat, quod illi jam facile erat et quasi connaturale. Candide aliquando mihi fassus est se intus omnino accendi solitum, quandocumque daretur occasio loquendi de rebus spiritualibus (2). »

Nicolaus Radkai S. J. (3) : « Ut regulis se imbueret eas initio cujusque mensis (ut ipsemet mihi retulit) pro materia meditationis assumebat. Vere speculum omnis sanctitatis fuit. Nunquam vidi eum decerpentem in Vinea vel minimam herbulam aut flosculum, nec quamdiu sanus fuit, in ejus manibus quidquam hujusmodi unquam comparuit; nunquam vidi eum olfacientem flores ullos aut aromata.

« In B. Virginem quanto ferretur affectu notum est omnibus... De ea libentissime loquebatur et hac de causa cum Coadjutoribus frequentissime conversabatur, quos a longe visos salutabat humanissime et invitabat, et cum iis ordinarie de ea sermonem miscebat, exempla narrando et miracula : quam ego rem peculiariter in eo notavi semper. Addo eum nunquam mecum domo exiisse, quin inviseret aliquam ædem B. Virginis et tum

(1) Ib. p. 61.
(2) Ib. p. 66.
(3) Hic Ven. Joanni intimus fuit. Vide supra p. 207.

orabat cum tanta attentione et fervore, ut sæpius non adverteret socium surrexisse et abiisse et frequenter coactus fuerim eum nomine suo vocando admonere.

« Vilissima quæque munia ardentius expetebat, diligentius obibat, ita ut quo viliora essent, eo illa majori cum diligentia exsequi videretur; certe toto eo tempore quo lucernarum curam habuit, nullo unquam die eas omisit aptare, nec unquam passus est, quantum poterat, ut alius eas suo loco adaptaret. Nunquam ivit ad videndos vel equitatus, vel hortos vineasve, aut similia, etiam ante prohibitionem omnem, et si quando casu incidisset in aliquid hujusmodi, nunquam elevabat oculos ad spectandum. Interroganti mihi quomodo ei placuisset equitatus Pontificius die S. Gregorii Nazianzeni, ad quem ipse quoque cum ceteris ex Collegio, ne videretur particularis, accesserat spectandum, respondit se ex eo nihil omnino vidisse, sed toto eo tempore in loco quodam secretiori et remotiori perstitisse orando. Nunquam etiam sivit persuaderi sibi ut accederet ad videndas cærimonias Pontificias, quæ hoc anno post electionem novi Pontificis (1) in Sancti Petri adhibitæ sunt, dicens se omnino constituisse a similibus quibusvis spectandis abstinere.

« Adeo a rebus omnibus terrenis adverti eum fuisse alienatum et separatum, ut nulla re omnino viderim illum delectari præterquam spirituali. Adeo semper sibi erat præsens et collectus interius, ut quocumque diei tempore, post quamcumque actionem et quandocumque vellet, oraret absque ulla perturbatione, nec ulla usus prævia præparatione aut recollectione. Infirmos quotidie invisebat, eis serviebat in omnibus eosque piis sermonibus consolabatur; ut plurimum vero ad Coadjutores itabat infirmos, et cuidam ex illis dixit, a Deo

(1) Gregorii XV, qui electus est anno 1629 die 9 Februarii.

hanc sibi adhuc gratiam esse concessam, ut quoties ad valetudinarium ivisset, semper de rebus divinis, et præcipue de B. Virgine colloqui potuisset.

« Quam admirabiliter debuerit esse illuminatus a Deo, colligo primo ex defectibus quos adscribebat et sibi fieri sæpius curabat in Refectorio; secundo ex quodam libello examinis particularis, ubi minutissima et quæ ne umbra quidem peccati sunt, materiam examinis particularis sibi faciebat; tertio ex illa ingenii perspicacia, qua integras quæstiones scholasticas, integras Beatorum nostrorum Vitas in compendium paucissimarum linearum adeo feliciter redegit, ut fuse videre est in ejus libellis; quarto ex illa ingenii claritate admirabili, qua omnia quæ legeret penetrabat et inter se connectebat.

« Omnibus diebus quibus communicabat totum tempus matutinum devotioni tribuebat, et quot mensibus unum diem integrum ei similiter dicabat. Ita conjungebat vitam contemplativam (quam jure dicerem eum perpetuo duxisse) cum vita activa, ut neutra alteri vel minimo esset impedimento (1). »

Guilielmus Van Aelst S. J. : « De cultu B. Virginis quid dicam? Constat enim, ut ipse mihi de industria id petenti et quodammodo expiscanti in extremis confessus est, cultum Beatissimæ Virginis primum ei in vita spirituali principium ac fundamentum exstitisse, supra quod deinde tam altam sanctitatis et virtutum turrim ædificavit; et hæc est ratio, ut arbitror, cur eumdem tantopere mihi in extremis commendaverit, volens ut verus essem filius B. Virginis; recordabatur enim quantum ipse ex eo fecisset progressum, quem vitæ suæ spiritualis principium ac fundamentum non dubitabat asserere. In recreationibus de nulla re libentius instituebat colloquia et in eam rem plurima collegerat argu-

(1) P. 68 et 75.

menta et exempla, quibus præcipue Immaculatam Virginis Deiparæ, Matris, ut ajebat, suæ, Conceptionem probabat... In colloquiis spiritualibus adeo inardescebat, tanto perfundebatur gustu et consolatione, ut se ipsum vix capere videretur (1). »

Hieronymus Albergotti S. J. : « Mihi aliquando dixit se non recordari quod ullum unquam in vita scrupulum habuisset, quæ res magna mihi visa est in eo qui adeo solerter in actiones suas, in verba et cogitationes inquirebat. Annotaverat, ut mihi dixit, ex P. Fabio de Fabiis vel ex P. Spinelli, nam certo non memini, Patrem quemdam magni nominis paucis indicare consuevisse historias aliasque res spirituales, quæ possent cum gustu et fructu in recreatione proponi, idque se imitari velle dicebat (2). »

Joannes Bapt Canaceli S. J. : « Agere cœpi cum Joanne Berchmans anno præterito, quo tempore Tusculi (Frascatæ) sumus versati. Convenerat enim inter nos ut quotidie ambulationis tempore Officium B. Virginis simul recitaremus, uti deinceps fecimus semper, eoque absoluto, siquidem devotionem experiebatur Joannes in recitanda Corona trium Pater et duodecim Ave, præstabamus et illud, de qua principio me monebat Orationem Dominicam in honorem Sanctissimæ Trinitatis ter repeti et deinceps ad unumquodque Ave, virtutem aliquam B. Virginis indicabat, quæ esset efflagitanda. His peractis vel psalmum aliquem legere solebamus et ad singulos versiculos sensus depromere, qui in mente exsurgerent, quod si fieret, ipse altissimos proferebat et me longe superabat; vel Coronam recitare B. Virginis, vel de rebus spiritualibus colloqui, lecto nonnun-

(1) P. 80 et 93.
(2) P. 88.

quam uno alterove loco ex Psychagogia (1), ut ratiocinia inducerentur; vel denique aliquid conferre de rebus philosophicis (2). »

Antonius Cocchiglia S. J. : « Tempore mensæ lectionem adeo attente audiebat, eam præsertim quæ fiebat ex P. Rodriguez, ut post recreationem cum ad cubiculum rediisset, compendio scribere soleret quæ ex eo audierat. Novi aliquem qui frequenter, dum eum videbat, subito ad compunctionem movebatur, ad devotionem et ad modestiam, et si forte recreationem cum eo peregerat, plenus fervore discedebat, et hæc una ex causis cur ejus mortem doleat, quod tanto fructu, quem ex ejus consortio percipiebat, se orbatum videat (3). »

Alexander Rimbaldesi contubernalis Servi Dei : « Eminebat in eo præ rebus omnibus sanctum orationis exercitium et unionis cum Deo. Nunquam cubiculum ingressus est, quin aqua lustrali se signaverit et oraverit flexis genibus in loco ubi studere solebat, etiamsi vel intra horæ quadrantem frequentissime exiisset. Ad stuporem movebat eum in oratione versantem cernere, in qua nonnunquam suavissime suspirabat, et circa ejus finem, aut alias etiam, imaginem aliquam B. Virginis ardenter osculabatur, testorque me, cum aliquoties casu eum intueri tum potuerim, facie inflammatum vidisse et ore renidente; uno verbo, Angelo similis videbatur. Nihil unquam amittebat ex tempore lectioni spirituali destinato, et diebus festis aliisque, quibus sacræ Synaxis fuerat particeps, toto mane legebat Opera Patris Alvarez (4). Jusserat Superior ut dormiret usque ad secun-

(1) Titulus est libri ascetici. Cfr. Sotwell. p. 126.
(2) P. 89.
(3) P. 100.
(4) Nimirum Jacobi Alvarez de Paz, nam Balthasar Alvarez,

dam meditationem, et siquidem ego cum ceteris surgebam, instanter me rogavit ut mane de ejus præsentia omnino non cogitarem, quod donum a Deo accepisse se diceret, ut a vespera postquam obdormivisset, etiamsi rumor maximus excitaretur, nunquam expergefieret, usque ad illam horam qua surgere statuisset (1). Nunquam cubiculum ingrediebar quin caput aperiendo me salutaret et se erigeret si sederet. Dixi ei aliquando me rogasse P. Rectorem ut cum eo de studiis conferre possem, et exinde solebat ipse me invitare tantamque in ea re exhibebat caritatem, ut ad illius profectum non ad meum hæc fieri credidisses (2). »

Petrus Alfaroli contubernalis Servi Dei : « Exponam breviter, quæ per anni spatium, quo Joanni in cubiculo socius fui, notare potui, prius diurni temporis distributionem, dein particulares aliquot actiones prosecutus. Mane statim ac veniebat excitator, surgebat alacriter et promptissime, et quantum ex ejus verbis intelligere potui, in Fratre excitatore Angelum suum custodem agnoscebat. Ergo ad solitum illud, *Deo gra-*

qui S. Teresiæ diu a confessionibus fuit, præter tractatulos duos, illius Vitæ insertos, librum nullum conscripsit. Hos tamen biographi aliquando non distinguunt. Fuit Jacobus Alvarez sacræ Theologiæ Professor Limæ in regno Peruano, dein plurium Collegiorum Rector et sexennio Præpositus Provincialis. Obiit vero cum magna sanctimoniæ fama, Potosii in eodem regno 17 Januarii 1620, plurimaque feruntur ad ejus tumulum præstita invocantibus beneficia. De eo legi meretur Sotwellus p. 555. Cfr. etiam opusculum : *Méditations sur la Vie de N. S. J.-C. traduites du P. Alvarez de Paz... Edition augmentée d'une Notice biographique.* Bruxelles 1851. Opera Jacobi Alvarez accurate recensentur in nova Bibliotheca scriptorum Societatis, quæ Leodii nunc typis mandatur, tom. 1 p. 15.

(1) Idem alteri testatus est. Summar. cit. p. 67.

(2) P. 104 sqq.

tias, ipse modesta simul et hilari voce respondebat : *semper Deo gratias...*

« Studium non minus quam ipsa oratio ei profectui erat. Quæcumque occurrebant dubia solvebat, ut sæpe mihi fassus, hujusmodi verbis ad Deum directis : Domine, hoc sine auxilio tuo intelligere non possum ; quod cum insigni candore et simplicitate faciebat. Adeo in eo elucebat modestia, ut qui studio vacantem vidisset, sanctissime in oratione occupatum credidisset. Tempus studiis deputatum nullis alienis rebus impendebat, nisi dolore capitis forte laboraret, quem leniebat recitando Coronam B. Virginis, vel librum spiritualem legendo; hæc enim ei pro remedio erant. Nunquam adverti eum in cubiculo vel unum verbum dixisse sine vera necessitate, et si quid diceret, potissimum tempore studii, illud prius ad limam quam ad linguam venerat. Tanta erat ejus caritas in aliis juvandis ut si de studiis aliquid interrogarem, posthabita et relicta omni occupatione sua, statim cum affabilitate summa interrogatis satisfaceret ; qua in re apparebat dilucida exponendi ratio, quin tamen vel in minimo interroganti superiorem se ostendere vellet, sed cum ingenio parem animi modestiam conjungebat.

« Ad scholam discedens ita mensulam et lectum componebat, ut internam animi compositionem plane patefaceret. Vix reversus a schola cubiculum verrere, ut hoc me labore levaret, aggrediebatur. Conquerenti mihi nonnunquam quod me non exspectasset, modeste, Nihil refert, ajebat, tibi hoc fatigationi foret, mihi contra opportuno est exercitio. Quidquid temporis sibi per diligentiam superfluum faceret, illud orationi vel lectioni spirituali tribuebat; statuerat nimirum, quod lucraretur tempus, id omne Deo esse consecrandum. Corpus flagellare solebat quater in hebdomade, in quadragesima autem mihi visus est id facere quotidie... De

aliorum valetudine valde erat sollicitus, et si me minus bene habere aliquando adverteret, Superiorem adibat moniturus, lectum meum componebat, et querebatur si hæc illius caritati non permitterem.

« Ejus devotio, quantum ex rebus externis colligere licuit, enarrari non posset, ea præsertim qua in B. Virginem ferebatur. De hac tanquam de matre cum tenerrimo loquebatur affectu et multoties me hortatus est, uti ceterum consueverat, ad eam amore prosequendam. Pluries adverti eum orationes ad Virginem ore renidente et vultu lætitiam ac consolationem referente dirigere solitum. Solebat uti opportunitate, ut mihi dicebat, non dissimili ab illa qua olim usus erat S. Bernardinus Senensis : quoties nempe per illam partem Contubernii separati transiret, ubi situm est sacellum B. Virginis, semper illud ingrediebatur ut bonam Matrem salutaret. Demum singulis diebus sabbati lancem unam dimittebat intactam et pœnitentiam aliquam publice exercebat.

« Animo præditus erat generoso, qui nunquam deficeret. Si quis de periculis Germaniæ (1) aliisve hujusmodi calamitatibus loqueretur, dicere solebat : ne despondeamus animum, Deus providebit. Non memini me unquam turbatum eum vidisse irave commotum; eadem illi perpetuo serenitas in prosperis et in adversis. Denique, ut summatim dicam, res difficillima fuisset vel levem aliquam imperfectionem in Joanne deprehendere, adeo perfecte motus omnes animi et corporis moderabatur (2). »

Joannes Cerruti Coadjutor temporalis : « Cum die quadam de devotione sermonem haberemus, dicebat veram devotionem nihil aliud esse quam promptam vo-

(1) Protestantes in Germania tum armis plurimum invalescebant.

(2) P. 105 sqq.

luntatem ad ea omnia quæ spectant ad Dei famulatum, quod adeo menti meæ inhæsit, ut deinceps magnopere adjumento mihi fuerit. Alia die cum de B. Xaverio, maxime de ejus desiderio patiendi essemus collocuti, optimam viam esse asseruit a levioribus incipere, quam in rem dicti Beati exemplum adducebat. Tria dicebat B. P. Ignatium a nostris requirere solitum, ut humiles essent, obedientes et hilares, et hæc tria ipse admirabiliter conjungebat. Si forte animo essem perturbato, quærebam cum eo recreationem peragere et ex ejus alloquio optatum solatium percipiebam. Tum aliquando ei dixi : quam bona res esset semper contentum et hilarem esse; ipse vero suadebat ut legerem undecimam et duodecimam Regulam Summarii, quod cum fecissem, magno solatio sum affectus. Alias historiam narrabat de aliquo, qui in sermone reverentiæ defuerat erga B. Virginem, nec gratum se exhibuerat ob beneficium ab ea acceptum, fueratque cælitus severe admonitus; rogabam autem ut potius de B. Virginis mansuetudine et misericordia aliquid adderet, sed respondit : parumne misericordiæ tibi videtur, quod te ad Societatem perduxerit? Aliquot diebus post festum S. Ignatii, cum simul domo exiremus, eique dicerem me B. Ignatium multas gratias rogasse, quas inter, ut tenera essem conscientia, hoc solum sufficere respondit, seque rogasse tantum ut B. Pater sibi gratiam impetraret nullam unquam regulam aut Superiorum ordinationem deliberate transgrediendi (1). »

Paulus Castenus Coadjutor temporalis : « Cum æger in lecto decumberem, ter in die me invisebat, diversa præstabat officia et exemplum aliquod de B. Virgine narrabat... Ultima verba quæ ab eo audivi, quando pridie obitus me amplexatus est, hæc fuere, se jam

(1) P. 113 sq.

nihil habere quod adderet, siquidem filius B. Virginis essem : *Abi jam*, inquit, *sufficit hoc, tu es filius B. Virginis* (1). »

Alexander Gottifredus, condiscipulus Servi Dei postea Societatis Præpositus Generalis (2) : « Non recordor me unquam audivisse ex ejus ore elapsum verbum otiosum, licet et affabilis esset et facetus. Ejus colloquia aliquando attente sum prosecutus, mihique perspicuum fuit eum non velle loqui nisi de rebus bonis et sanctis, et de duobus quidem præ ceteris libenter discurrebat, de rebus spiritus et de studiis, sed cum hac diversitate, ut in recreationibus quotidianis, quæ domi fiunt, semper de rebus spiritualibus loqueretur (ut mihi affirmavit et ego ipse experimento comperi), foris autem nonnunquam aliquid de studiis immisceret.

« Cum die quadam simul in ambulatione versaremur, adeo ejus sanctis collocutionibus sum accensus, ut quia de custodia linguæ erat sermo, quomodo Religiosum deceret, statuerim in posterum semper de rebus spiritualibus loqui, eumque rogavi ut me adjuvaret; Scire vis, frater mi, respondebat, quo pacto cum omnibus de rebus spiritualibus loqui possis? Oportet virum spiritualem se profiteri. Replicabam autem, etiamsi quis talem se profiteretur, si, ut colloquium spirituale inducat, impediat forte sermonem alterius, fieri posse ut is molestia afficiatur. Tum ille : hoc mihi quidem, quæ Dei

(1) P. 114.

(2) Electus est 21 Januarii 1652, sed sequenti Martio vita functus. Longa est ejus relatio et aliorum etiam, ut in sæpe citato Summario sunt excusæ, sed ne id monere omittamus, ex earum plurimis nonnisi pauca excerpta fuere, ne quæ in Vita relata sunt repeterentur, aut adderentur superflua; nec tamen ideo necesse visum est continenter interpunctiones apponere, ubicumque aliquid omitteretur, nam id lectori fastidium crearet.

gratia est, non accidit, quia jam satis ostendi, me in recreatione non velle loqui nisi de Deo rebusque spiritualibus, et vere, inquit, quid Religioso cum mundo commune?

« In colloquiis frequenter mecum excellentia lumina communicavit, sibi a Deo orationis tempore immissa. Ut recreatio jucundius transigeretur, sæpe narrabat historias ex Annalibus Societatis depromptas, quos apprime callebat, idque tam comiter honesteque præstabat, ut magno id fieret sociorum oblectamento. Multa enim Joanni erant in promptu quæ hilaritatem causarent, uti ea sunt quæ dæmonis contumeliam aliquam habent; multa quæ studium perfectionis acuerent; multa denique quæ ad Beatorum jubilationem animos raperent.

« Diligentissime in triclinio mensis inserviebat, non binis solum diebus sibi in hebdomade assignatis, sed alias frequenter, quod ut sibi liceret, a Superiore se obtinuisse mihi dixit : hoc in officio insignem ejus caritatem sum admiratus. Sacerdotum erat observantissimus, et cum aliquando de eorum dignitate sermonem forte faceret, facile vidi quam alte de ea sentiret, ac propterea si quis esset sacerdos in recreatione, raro admodum et modestissime loquebatur. Accidit aliquando ut cubiculum P. Ministri certa de causa ingressurus, Joannem viderem humiliter genuflexum, ex quo collegi, quod aliunde postmodum certius didici, morem ei fuisse ut flexis genibus pœnitentias a Superiore exposceret (1). »

P. Horatius Grassi, Sacerdos Professus S. J., Professor Mathematices in Collegio Romano : « Res est multorum testimonio confirmata, per vias ac in scholis multos restitisse, ut tantum modestiæ exemplar intuerentur. Quod egomet eum docui, promptissime semper didicit, ac insigni ingenio eum fuisse omnes censuerunt. Memo-

(1) P. 117 sqq.

ria pollebat admirabili, et quæ ad mensam audiverat, post recreationem ad cubiculum reversus, universa compendio complecti poterat, cujus rei testem habeo libellum aliquem, in quo id præstitit, quem nunc servo penes me ut pretiosam Reliquiam (1). »

P. Thomas Bisdomini, Sacerdos Professus S. J. Professor Theologiæ moralis in Collegio Romano : « Contigit ut paulo post felicem ejus mortem inviserem Illustrissimum (2) Cardinalem Bellarminum, pridie illius sabbati quo morbo correptus est, qui eum ad mortem deduxit (3), et cum de virtutibus Joannis et sancta ejus morte loqui cœpissem, bonus ac pius Cardinalis præ gaudio et pietate ad lacrimas motus est, quod Societas tam sanctum filium habuisset. Dolebat porro eum sibi non innotuisse, et dicente P. Fabio Bellarmino, ejus consanguineo, quocum veneram, Joannem semel allocutum eum esse magno suo solatio, et interrogatum ab ipsomet P. Fabio, num Cardinalis ei aliquid dedisset, respondisse nihil esse datum nec etiam accepturum se fuisse, cum solius consolationis suæ gratia Cardinalem adiisset, laudavit eum Cardinalis, referens sic etiam egisse B. Aloysium, qui nihil habere et vere pauper esse volebat. « Quam admiranda res, addebat, Virgini talem fecisse promissionem (4), quam mirabilis inventio eam proprio sanguine subscripsisse, in re quæ alioquin cer-

(1) P. 153. Ratio præcipua, ob quam tot spiritualia adnotabat, indicatur in Vita p. 114.

(2) Hoc titulo Cardinales tum nuncupabantur. Cfr. Spondanus ad ann. 1630 n. 8.

(3) Obiit eodem anno ac Ven. Joannes, die 17 Septembris.

(4) Sermo est de charta, in qua scripto pollicitus est se perpetuo defensurum Immaculatam Conceptionem B. Virginis, et quam proprio sanguine subsignavit. Visitur illa etiamnum Romæ in quodam sacello Domus Professæ. V. supra p. 170 et 230.

tissima est. Credo ipsam Dominam nostram id ei inspirasse; voluit scilicet Dei Mater, ut sanctus ille juvenis ex partibus suis staret. » Memorabam autem et illam ejus prærogativam : *Aspicientes eum excitabantur ad castitatem.* Quod cum audisset magis etiam præ gaudio in lacrimas effusus, « O donum illud Matri Dei concessum fuit, exclamabat, et ab ipsamet huic suo filio communicatum est. » Nec his videbatur posse satiari et me comitatus est præter solitum (nam familiariter mecum agebat) non tantum usque ad exitum illius partis ædium, quam in Novitiatu S. Andreæ occupabat, sed per aulam adjacentem et per longum atrium usque ad scalas, præ oblectamento quod ex his sermonibus percipiebat, iterumque dolere se manifestavit, se de ejus morbo admonitum non fuisse, quod multum desiderasset eum invisere. »

Refert dein idem Thomas Bisdomini testimonium aliquod honesti viri, qui gravibus tentationibus vexabatur, in quo asserit ille, se ex Ven. Joannis aspectu semper ad castissimas cogitationes fuisse excitatum, et ubi id primum advertit, deinceps frequenter ad Collegium Romanum se venisse, ut dicta gratia frueretur. « Et ut audivi eum obiisse, inquit, pluries in Ecclesia et in Sacristia tenerrimo cum affectu et devotione per longum tempus eum aspexi et sanctas ejus manus ac angelicam frontem osculatus sum, et tetigi virgineum illud corpus candidum super lilia, nec ab eo poteram divelli; exinde sæpe accedo ad felix ejus sepulcrum et eamdem gratiam experior ac ab illo tempore notabiliter sum allevatus. Cum vero in hac materia nomen prodere non deceat, illudque etiam prudens meus Confessarius vetuerit, R. P. Thomas Bisdomini, Theologus Societatis Jesu, cui cum juramento has gratias testificatus sum, hæc omnia confirmare potest; cui etiam præsens testimonium di-

etavi, ne vel ex scriptura manus dignosceretur. Habeo autem ut certum, quod retuli, magnum esse miraculum, per merita sancti illius Fratris obtentum. » — « Ego Thomas Bisdomini Societatis Jesu, affirmo me certo scire et audivisse a dicto domino N. quidquid supra modo scripsi, et illud credo tum ob personæ gravitatem, tum ob sanctitatem illius benedicti Fratris Joannis Berchmans, ac mihi certissimum est, quod supra relatum est, gratiam esse ac miraculum præclarum. » Refert hæc P. Bisdomini ut Testis juratus in Processu Romano anni 1622 (1).

Alexander Saraceni, Coadjutor temporalis : « Sanctus ille Frater mihi in quadam recreatione dixit se nullum amicum habere, cui, si quid rogasset contra aliquam regulam, non dixisset : hoc non possum nec debeo facere. Infirmos visitabat ter in die (2), iis pæne semper aliquod officium præstans (3). »

P. Octavius Lorenzini : «Cum primum Romam venit piæ memoriæ Joannes Berchmans, jam aliquoties cum eo sum versatus, eumque ut Angelum et Sanctum habere cœpi, uti et sæpius dixi et nonnullis Patribus cum virtutum illius laude in Belgium scripsi. Crevit autem hæc existimatio in dies magis, cum eorum omnium quæ in perfecto Societatis Jesu Religioso desiderari possint ac a Sancto Fundatore nostro sunt perscripta, mihi vita illius viva quædam videretur imago, in qua ne levissimam quidem maculam cernere potui. Biduo ante ultimum ejus morbum, cum in villam Collegii venissem, finito prandio, Joannes magna caritatis significatione me invitavit, ut secum recreationem instituerem. Accessimus

(1) Summar. cit. p. 133 sqq.

(2) Prius bis in die, postmodum usque ter eos visitavit. Cfr. ibid. p. 67 et 114.

(3) P. 144.

igitur ad locum consuetum cum reliquis Patribus et Fratribus, sed longius paulo consedimus ubi plures non accederent, ut facilius de primis Patribus et de Beatis nostræ Societatis loqui liceret. Hujusmodi sanctis sermonibus ultra duas horas inhæsimus, quo tempore ita Societatis amore et Beatorum exemplis idem Frater afficiebatur, ut bene multa super eorum virtutibus me interrogaret, nec animum his satiare posse videretur. Deinde de modo dicere cœpit, quem in virtutibus Patrum illorum et Beatorum imitandis sequeretur, ajebatque lectione Vitarum eorumdem, quas partim impressas, partim adhuc manuscriptas legerat, permultum se juvari, et hanc esse suam lectionem ordinariam, uti et omnibus nostris esse cupiebat, quandoquidem, inquiebat, eamdem ac ipsi vitam ducere debemus.

« Cum quæsiissem ab ipso quoties cum Guilielmo Van Aelst itidem Belga esset collocutus, et utrum cum eo aliquando deambularet, magna amabilitate respondit : Annus modo integer et tot dies sunt (numerum addebat), ex quo ne verbum quidem commutavimus. Miratus sum tantam ejus observantiam tantamque rerum memoriam, cum subito ad unum usque dies referret a discessu ex Contubernio separato elapsos. Tum joci causa ulterius rogavi, num forte Guilielmo iratus esset. Non, inquit, sed cum adhuc inter Collegiales novos degat, nobis fas non est simul loqui (5). »

P. Virgilius Cepari Sacerdos Professus S. J. Rector Collegii Romani et confessarius Servi Dei, annorum 60, hæc testatur in Processu Romano anni 1622 : « Dum ægrotus decubuit administravi ei sanctissima Sacramenta Confessionis, Viatici et Extremæ Unctionis. Nunquam vidi mortem sanctiorem, nec credo quod sanctius mori quis possit... Prædixit moriens Angelo Ferretti eum

(5) P. 163.

mox post se moriturum, et hic tamen valde juvenis erat, sed eventu prædictio comprobata est; obiit in eodem cubiculo et lecto in quo Joannes obiit et nullus adhuc alter post eum obierat. Prædictionem ipse Angelus Ferretti mane diei obitus mihi in memoriam revocavit (1). »

Angelus Ferretti S. J. (2). « Valedicturus Joanni Berchmans, ut ceteri id fecerant, cum ingressus essem ejus cubiculum et soli forte essemus, eum salutavi, et ipse vicissim vultu valde hilari et sereno meque subito meo nomine vocavit, quasi diuturna jam inter nos fuisset consuetudo : « O Frater Angele, Frater Angele, salutem tibi dico etc. » Dein, cum sedere me jussisset, « Frater Joannes, inquiebam, vis ergo ad Cælum ire et nos derelinquere. O felicem te, qui tam cito Domino nostro fruiturus es, quantum tibi invideo! Si possem etego illuc jam abire, quam libenter miserias hujus vitæ missas facerem! » Audiebat hæc omnia subridens, « Frater Angele, respondit, tu brevi me sequeris, ne dubita (3).

(1) P. 167.

(2) Hujus relatio et aliæ pleræque quibus in hoc § II usi sumus, quasque ad Vitam Servi Dei accuratius conscribendam Ceparius post ejus obitum confici jusserat, fideliter asservatæ sunt in Tabulario Collegii Romani usque ad annum 1742, quo in novo Processu informativo Romano ut testificationes subsidiariæ sunt exhibitæ. Quoniam vero omisimus hucusque indicare quænam ex allatis testimoniis extrajudicialia essent, ut id etiam lectorem non fugiat, sciendum omnia quæ in § I adducta sunt, in Processibus Antverpiensi et Romano annorum 1622 et 1623 fuisse dicta, exceptis his tribus, Valerii Van Stephout, D. Petri Emmerici et P. Guilielmi Bauters; in § II autem, omnia extrajudicialia sunt usque ad finem Paragraphi, præter testimonia Guilielmi Van Aelst, Horatii Grassi, Thomæ Bisdomini et Virgilii Ceparii.

(3) « Lui ridendo ascoltava il tutto, finalmente mi disse : Eh! Fratel Angiolo, lei ancora mi seguitarà presto, presto, non dubiti. »

Subdidi autem : « O placeat ita Domino nostro, quam libenter hanc gratiam consequerer ! eam spero equidem et rogo te ut velis me tuis orationibus adjuvare ; Dominum obsecra ut eam concedere dignetur. » Promisit iterato se valde libenter id præstiturum... Demum consilium aliquod eum rogavi ac methodum ut in spiritu proficerem : O tot sunt, ajebat, tot sunt. Rogabam autem ut aliquid speciatim indicaretur; Recursus ad Superiorem, respondit... Habitus est hic sermo pridie ejus obitus, hora vigesima tertia (1), ipse vero sequenti mane mortuus est (2). »

Aloysius Spinola S. J. : « Cum tempore illius morbi vespere post examen Patrem Rectorem (Virgilium Cepari) nescio qua de causa adiissem, dato responso addidit, Eo invisum Joannem, quia omnino timeo ne eum amittamus. Contigit illud duobus diebus et tribus noctibus ante ejus mortem. His auditis magno dolore sum affectus rogavique ut liceret eum comitari, quod concessit. Ad valetudinarium cum devenissemus, Joannes benigna et amica salutatione nos excepit, nec quandiu illic mansi de alio factus est sermo quam de morte et paradiso, cum tanta voluptate sancti illius Fratris ut videretur duci bellico similis, qui de ingenti reportata victoria sibi gratularetur. Dicebant autem aliqui multum ei superesse præstandum et patiendum in terra, ad obsequium Divinæ Majestatis, et tum narravit ipse P. Costerum (3)

(1) Incipit hora prima italica dum media hora ab occasu solis elapsa est; ex quo apparet hujusmodi computationem magnam horarum varietatem inducere, non solum pro locorum longitudine quam vocant, uti cum horis vulgaribus contingit, sed etiam pro latitudine et maxime pro diversis anni temporibus; quocirca hodiedum in multis locis obsolescit vel publica auctoritate sublata est.

(2) P. 170.

(3) Hunc Historia Societatis, ad annum ejus obitus 1619

sibi Mechliniæ in tirocinio versanti dixisse, se multos ad sanctam fidem nostram debere convertere, et subsistens hic aliquantulum, Nescio, subdebat, an intellexerit e cælo. Conclusum est tandem, nisi de nocte in melius verteret valetudo, sequenti mane ei sanctissimum Viaticum præbendum fore. Tunc discessimus, rogavique instanter P. Rectorem, ut si Viaticum dandum esset, advocari me juberet, cum summopere cuperem tanto ejus actui interesse. Promisit et postero mane venit ipse me excitaturus. Tum illico me contuli ad cubiculum

(Parte sexta pag. 198), merito inter eos numerari dicit, qui Societatis primordia plurimum illustraverunt. Alegambe, Belga et ipse et Costero coævus, hæc de eo scribit inter alia in Bibliotheca Societatis : « Franciscus Costerus natione Belga, patria Mechliniensis, vivente adhuc S. Ignatio, anno 1552 Romam venit adolescens etc. Multis in Societate Collegiis præfuit, bis Provinciæ Belgicæ, semel Rhenanæ; ter Congregationi generali interfuit, vel suo ipsius Provincialis, vel Provinciæ nomine... Tam scripsit copiose, tanto concionatus est hominum concursu ut in præcipuis Societatis scriptoribus concionatoribusque videatur numerandus. Et vero multis Hollandorum millibus fuit suis libris saluti, quos vel nutantes in fide firmavit, vel lapsos restituit... Deiparæ Virginis, cui se dicebat infantulum a parentibus fuisse consecratum, præcipuus cultor exstitit : ejus pervigiliis se in publica cœnatione sociorum accusare, atque a se pœnam aliquam repetere; omnes ejus imagines ubilibet obvias aperto capite et angelica salutatione venerari, perlibenter patrata per eam miracula vel audire vel referre. Sodalitates ejus honori primus in Provinciis quibus præfuit, erexit, iis leges condidit, formam pietatis ac modum edito in lucem opusculo docuit. Antverpiæ statuam ei prægrandem pro Curia collocandam curavit, submoto, qui locum illum occupabat, profano colosso. » Quanto concionatus sit fructu legi potest in Annalibus Gandavensibus vernacule editis a P. Bern. De Jonghe, Ordinis S. Dominici, ad annum 1567. *Ghendtsche Geschiedenissen... sedert* 1566 *tot* 1585, tom I p. 70 edit. 1752.

sancti nostri Fratris, qui ubi primum me vidit, *Salve, mi Frater, imus ad cœlum*, inquit; quibus auditis, adeo sum commotus, ut nihil tum respondere potuerim... Pridie ejus obitus, inter multos qui aliquod documentum spirituale eum rogabant, accessi et ego, mihique respondit : *Faciat te Deus filium orationis, filium Beatissimæ Virginis et det tibi duplicem spiritum B. Ignatii, erga Deum et erga proximos.*

P. Joannes Gaudt S. J. : « Rogavit Patrem Copponi (1) ut in concionibus Immaculatam Conceptionem tueretur usque ad sanguinem, addens se hanc promissionem fecisse et in charta scripsisse ac proprio sanguine subsignasse. Hæc postea in aliquo ejus libro reperta est... Respondit Litaniis B. Virginis aliisque precibus, et deinceps nomina Jesu et Mariæ ei semper in ore erant ad agoniam usque, quæ vix medium quadrantem duravit, et adhuc illo tempore nomen Jesu pronuntiabat quam optime poterat, ita quidem ut a nobis intelligeretur... Hæc sunt quorum memini de morte Joannis et cum juramento affirmare possum quæcumque de ea scripsi etc. (2). »

§ III. *Beneficia aliquot et gratiæ quæ intercessione Ven. Servi Dei prodigiose feruntur obtenta* (3).

P. Horatius Grassi Sacerdos Professus S. J., professor mathematices in Collegio Romano : « Postridie (diei obitus) major etiam concursus factus est... Tunc aliqua

(1) Hujus testimonium legitur in Summar. cit. p. 88.

(2) P. 172 sqq.

(3) Testimonia omnia quæ deinceps proferuntur, in Processibus solemniter et præmisso juramento fuere dicta, ex quo colligitur quantam mereantur fidem; sed neminem latet, donec Ecclesiæ judicium accesserit, non alia auctoritate fulciri, quæ

prodigia evenerunt quæ præsens non conspexi, sed accessi dum ab omnibus narrabantur. In primis Catharina Recinatensis (1) visum recuperavit etc. (de quo latius infra) et examinata est in ipsa Ecclesia a Reverendissimis Episcopis Papiensi et Comensi, qui vera esse pronuntiarunt quæ ipsa asserebat, et qui eam noverant testati sunt manifestum esse miraculum. Alia matrona nomine Arsilia Altissimi, graviter laborabat ex latere, sed cum strophiolo corpus Joannis tetigisset illudque ad latus admovisset, sanatam se sensit. D. Ferdinandus Ughelli, Florentinus, monachus Cisterciensis et Joannis condiscipulus (2), gravi capitis dolore laborans, manu Joannis ad caput admota, dolore liberatus est...

in iis relata sunt, quam humana. Placuisset quidem ubique præcipuum aliquod hujusmodi testimonium afferre, uti fere præstitit P. Daniel Bartoli libro quarto Vitæ Ven. Cardinalis Bellarmini (p. 57 sqq. edit. Taurinensis 1836), verum Processus ipsimet ad manum non fuerunt, ut dicto scriptori, sed eorumdem Summarium aliquod anno 1745 in lucem editum, in quo pleraque beneficia mirabiliter obtenta in brevem narrationem contracta sunt, indicatis tamen perpetuo testibus quorum relationes in ipsis Processibus legi possent. Hæc itaque et alia nonnulla similiter compendio dabuntur, cum præterea cavendum fuerit ne nimium Appendix iste excresceret. Monendum quoque, non omnia mirabilia quæ in variis monumentis consignata sunt, in Acta excusa transiisse, nec etiam de singulis multa testimonia fuisse excerpta, sed solum quantum satis esset ad comprobandum vel miraculorum famam, vel singillatim miracula aliquot præcipua. Quocirca narrantur hic illa prodigia quæ circa medium sæculi præcedentis in memoratis Actis excepta fuerunt, quorum nonnulla veluti obiter solum indicantur. His addentur alia duo ex Summario non ita pridem edito, in quo quatuor mirandæ sanationes, quarum duæ in priori Summario jam relatæ fuerant, longa testimoniorum serie enarrantur. Cfr. Positio super Introduct. causæ pag. 33 n. 90.

(1) Da Recanati.

(2) Claruit is virtutibus et doctrina estque notissimum ejus

« Ejus mors revelata est duabus Virginibus in locis perquam dissitis. Altera Mantuæ degebat... Altera Rodumnæ (Roanne) in Gallia (1)... Scio etiam ex personis fide dignis alias etiam tempore obitus ab aliis visum fuisse in gloria, sed solas illas duas revelationes refero, de quibus scriptas epistolas legi.

« In Collegio Romano Ludovicus Gabrielli nostræ Societatis, qui graviter ex febre decumbebat, simul gravi dolore capitis laborans, ad solam Joannis invocationem dolore et febre liberatus est, febrisque tum in accessione erat, nec ulterius est progressa nec postea rediit, ut constat ex testimonio ejus manu exarato et ex ipsius ore etiam hæc audivi. Alia beneficia in Sicilia præstita esse audivi, Messanæ nimirum, alia Mantuæ et alibi, verbi causa in Belgio, ex quo certum habemus testimonium, ejus amitam (2) a sanguinis fluxu annorum duodecim fuisse liberatam. De meipso affirmare possum me non solum multas per ejus intercessionem spirituales gratias consecutum, sed cum antea epiphora perpetuo laborarem, comitante identidem febre, a tempore quo Joannes obiit, relictis curis omnibus ac medicamentis, et deinceps vitam ageus ut valentiores solent, nihil jam sum expertus, non obstantibus etiam laboribus plurimis, ita ut non ego tantum, sed omnes qui me noverunt, id magnopere admirentur. Hæc porro omnia cum juramento affirmo ad gloriam Dei, a quo omne datum

Opus *Italia sacra* inscriptum. Natus est Florentiæ anno 1595, Romæ Abbas fuit monasterii Cisterciensis Trium Fontium, ibique diem supremum obiit anno 1670. Cfr. biographi et epistola aliqua quæ præfigitur tomo primo editionis Venetæ laudati operis, in qua dicitur eum in Collegio Romano præceptores habuisse Franciscum Piccolomini et Joannem De Lugo.

(1) De utraque inferius dicetur.

(2) Vox italica tam materteram quam amitam designat.

optimum et Servi illius Joannis Berchmans, ad cujus intercessionem sunt obtenta. »

D. Arsilia Altissimi Tiburtina, vidua D. Antonii de Georgiis, annos nata circiter 53. — Obiter hic advertendum mox indicatam Testem Arsiliam Altissimi feminam fuisse eximiæ probitatis et divinitus cumulatam quamplurimis gratiis gratis datis, prout enarrat P. Nicolaus Baldellus Soc. Jesu Theologus, Director spiritualis ejusdem, in Libro quem exaravit super cælestibus donis ipsi mulieri communicatis, quemadmodum videre est apud SS. D. N. Benedictum XIV in opere *De Servorum Dei Beatificatione* etc. lib. 3. cap. 45. num. 2 et cap. 49 n. 15, et lib. 4 part. 1. cap. 8 n. 27. Videri quoque potest Paulus Zacchias Quæst med. leg... et aliis omissis P. Bartolus Soc. Jesu in Vita Ven. S. D. Card. Bellarmini lib. 4 pag. 521 (1). — Prædicta Arsilia, in Processu Romano anni 1622 testata est quæ sequuntur : « Mane feriæ sextæ diei 15 Augusti anni 1621 intellexi ex sonitu campanarum Collegii Romani aliquem obiisse et cum moris mihi sit tunc devotionem aliquam præstare pro anima defuncti, accessi cum filialibus meis Victoria et Anna ad parvum altare domesticum, coram quo orare solemus, et Rosarium tenens præ manibus prius volui recitare *De profundis*, sed cum vellem dicere *De profundis*, accidit ut dicerem *Te Deum etc.*, idque tribus et pluribus etiam vicibus factum est, ita ut nunquam potuerim dicere *De profundis*. Tunc filia mea Victoria cum voluisset similiter inchoare *De profundis*, non potuit, sed invita protulit *Gloria Patri etc.* Quod cum adverteremus, multum illud sumus miratæ et diximus : Aliquis magnus Servus Dei obiit in Collegio ; ac per totum illud mane in illa admiratione remansimus, scire cupientes quisnam obiisset. Tempore pomeridiano cum ad

(1) Lib. 4. pag. 67 edit. Taurinensis 1856.

ecclesiam dicti Collegii ivissemus, ingentem concursum virorum et feminarum omnis conditionis vidimus, nobisque dicebant ibi in feretro expositum esse Patrem quemdam Belgam qui cum fama sanctitatis obierat. Conata sum igitur in tanta multitudine, quanto melius potui, ad feretrum accedere, et cum illuc pervenissem, videbar mihi videre Angelum cælestem; tum devotione commota, strophiolum ad defuncti faciem admovi, cupiens illud dein lateri applicare, ex quo adeo patiebar ut aliquoties ad vitæ terminum me devenisse crediderim et nonnisi summa difficultate ad feretrum potuerim accedere. Applicato igitur strophiolo ad latus, subito dolor disparuit, licet jam a multis diebus sine interruptione durasset, nec ex variis remediis levamen ullum percepissem; quod firmiter credo miraculo factum esse per intercessionem dicti Patris (1). Tunc audivi vocatum eum esse Joannem Berchmans fuisseque Belgam, et cum Deo gratias egissem de obtento beneficio, domum redii sine ullo dolore et quasi eum nunquam fuissem experta; post quam gratiam et propter illud quod mane ejusdem diei, dum preces pro defuncto recitare volebamus, contigerat, certiores factæ sumus ego et prædictæ filiæ meæ, eum esse verum Sanctum et pro tali exinde eum habui et etiamnum habeo etc.

Scio eum multa alia miracula fecisse... Ad finem

(1) Eamdem sanationem his verbis narravit ejus filia Victoria in eodem Processu : « e perchè mia madre aveva un gran dolore di fianco da quindici e più giorni, che si sentiva morire di dolore, toccò con un fazzoletto il viso di detto santo Padre e dopo lo mise sul fianco e nella parte dove sentiva il dolore, qual subito gli passò; il che veramente è stato miracolo grande, e questo lo so perchè continuamente in casa la vedeva addolorata di detto male, e con molto travaglio e stento andò in chiesa; e ritornò a casa senza alcun dolore, come se mai avesse avuto male alcuno. » P. 177.

mensis Augusti anni 1621 domina Julia Drusolina virgo Romana, quæ nervis unius cruris contractis movere se non poterat, et acerrimos dolores patiebatur quin ulla quiete frui posset, cum audivisset in Collegio Romano obiisse Patrem Joannem Belgam eumque multa miracula patrare, magna devotione se huic sancto Patri commendavit ut se a dolore liberaret, addito voto, si cruri sanitas restitueretur, in ejus honorem crus argenteum se oblaturam; qua oratione absoluta subito crus sanatum est omnisque dolor disparuit et mane ad ecclesiam venit quasi nihil unquam sensisset : quæ omnia ab ipsa dicta domina didici, meque rogavit ut emerem crus argenteum, quod in loco ubi positum est sanctum illius corpus appendere volebat; illud itaque præstiti ejus expensis et in dicto loco appensum est, ex quo tempore nullum unquam dolorem est experta (1). »

Sequuntur in eodem Summario testimonia Annæ et Victoriæ de Georgiis, filiarum Arsiliæ, quæ duo priora ex relatis prodigiis in omnibus confirmant, de tertio vero vel non sunt testificatæ, vel pars aliqua testimoniorum in qua illud memorabatur, in monumentis excusis omissa est.

P. Virgilius Cepari Rector Collegii Romani etc. : « Certus sum post ejus mortem plurimas evenisse visiones et revelationes in Gallia, Mantuæ et Romæ, easque ut veras habeo visiones et revelationes, a Deo immissas ad manifestandam juvenis illius sanctitatem ac gloriam in cælis : quarum nunc relationes exhibeo, uti ad me sunt missæ. Scio eum post mortem multa miracula operatum esse corporalia et spiritualia etc. (2).

(1) P. 174 sqq.

(2) Hic quædam addit Ceparius de cultu publico qui Ven. Servo Dei primis annis ob obitu, antequam Decreta Urbani VIII edita essent, obtigerat, et hujusmodi res in multis testimoniis obviæ

Subditur hic epistola a quodam Patre Collegii Mantuani ad Ceparium missa, in qua sic ille scribit: «Mantuæ virgo est annorum minimum sexaginta, honestæ conditionis, quæ templum nostrum a multis annis frequentat et quater in hebdomade ad sacram Synaxim accedit. Hæc aliquando visiones experitur imaginarias, quas soli Confessario manifestat. Ego ab annis aliquot ejus confessiones excipio (1), et cum plerumque visiones illæ aliud non desi-

sunt : quæ omnia consulto omisimus, siquidem sapientissima Ecclesiæ lege cautum est, ut nullus cultus publicus erga eos qui nondum essent beatificati aut canonizati in posterum exhiberetur. Ecclesia scilicet omni tempore hunc cultum moderata est, sed anno demum 1625 vulgata sunt Decreta generalia, quæ dudum parabantur, et in quibus singillatim indicantur quæ deinceps essent prohibita. Hæc statim per universam Ecclesiam executioni mandata fuere. Quænam vero antea aliquando tolerarentur, luculenter exponit ipsemet Ceparius in suo Directorio Canonizationum ap. Bened. XIV de Beatif. et Canoniz. lib. 2. cap. 10 n. 6 post medium.

Notum tamen est erga Servos Dei qui cum fama sanctitatis et miraculorum mortui sunt, semper licitum fuisse et esse cultum privatum, ut tradit idem Bened. XIV loc. cit. cap. 7 n. 2 et 4. Alibi vero cap. 11 n. 5. sqq. agens de cultu publico, tria esse statuit, quæ ex decretis Urbani VIII præcipue sunt prohibita. Primum est, Imaginum in altari publico vel privato retentio (et idem de Reliquiis dicendum. cap. 13 n. 11), earumque pictura cum laureolis, radiis aut splendoribus. Alterum editio librorum, qui continent virtutes, martyrium, revelationes ac miracula Servorum Dei, sine debita approbatione et protestatione. Tertium, ad eorumdem sepulcra lampadum ac luminum incensio et votivarum tabellarum suspensio ; hæ tabellæ offerri quidem possunt, ne memoria miraculorum intereat, sed donec Beatificatio aut Canonizatio intervenerit, in loco ab Ecclesia secreto sunt asservandæ, verbi causa in sacrario, et ita quidem ut nullum cultum publicum designent.

(1) Narrat quæ sequuntur, facta sibi venia a pœnitente, ut ceteroqui infra diserte indicavit.

gnent, quam ut animam aliquam juvet in Purgatorio detentam nec quidquam in ea operentur præter consolationem aliquam spiritualem, nunquam eas magni feci, sive somnia fuerint sive veræ visiones, quanquam ipsa credebat potius visiones esse; quando igitur hujusmodi res referebat, suadebam solum ut præstaret quæ animæ illæ rogabant, quia in eo errare non poterat, cetera vero in incerto relinquebam. Mane itaque diei S. Rochi ad Ecclesiam accedens ut sacræ Synaxis fieret particeps, hæc mihi dixit : « Obiit unus ex adolescentibus vestris in loco longinquo, qui sanctus est, et magnus fuit populi concursus ac miracula patrat. Respondi me de his nihil scire. Addidit : certo tibi scribetur (1). Dubius tum hæsi et eventum exspectare volebam, sed arbitratus potius bonum somnium fuisse, sic eam dimisi. Postea epistolam accepi a P. Paulo Bombino, datam die 25 Augusti, in qua scribit Joannem Berchmans Scholasticum Societatis obiisse in Collegio Romano cum fama sanctitatis, et ingentem fuisse concursum ad exsequias ac miracula narrari per ejus Reliquias obtenta. Innotuit deinceps ex litteris, quibus de more sacra et orationes indicebantur, diem obitus fuisse tertium decimum Augusti, ex quo perspexi virginem illam via humana hæc cognoscere non potuisse. Cum autem videretur id in gloriam cedere beato juveni, iterum eam diligentius interrogavi et sic rem contigisse narravit (2) : Mane diei qui S. Rocho sacer est, hora octava (italica) absoluta meditatione, cum Matutinum Officii B. Virginis pro more ante auroram dictura esset, rapta est extra se et ab adolescente ad Ecclesiam aliquam ducta in loco longinquo, ubi magnus

(1) « Vedrete che vi sarà scritto » et inferius « e che per ogni modo mi saria (sarebbe) scritto. » Pag. 182 sqq.

(2) Noluimus hac narratione et aliis nonnullis, quæ eadem simplicitate se commendant, pium Lectorem defraudare.

erat concursus populi propter juvenem ex nostris vita functum, qui in feretro jacebat linteatus (1) et ut sanctus colebatur. Accidit ut caderet illa in tanta multitudine sed a Domina aliqua vestitu albo induta erecta est, cui gratias egit. Miracula fieri non vidit, sed sacerdotem aliquem videbat scribentem veluti in sacristia, et alius cui feretri cura commissa, eidem res nonnullas referebat, ipsaque credidit miracula fuisse, quæ essent litteris mandanda. Circiter horam decimam ad se est reversa, sed plurimum defatigata, quasi magnum iter peregisset; et Officium Virginis tunc dicere cœpit. Multum autem experiebatur solatii, quod aliquis ex juvenibus illis qui nondum sacerdotio sunt initiati, talis fuisset et omnes tales esse cupiebat... Cum hæc omnia denuo narrasset, legi ei litteras Patris Bombino, quibus auditis plurimum est gavisa et humiliter Domino nostro gratias egit, quia cum tot dies essent elapsi quin quidquam inaudisset, dubitare cœperat an a dæmone non fuisset illusa. Deo igitur humiliter gratias agebat, quod tanta peccatrix cum esset (sic dicebat), hanc sibi gratiam fecisset, meque rogavit ut nemini hæc referrem... Postea autem petii ut liceret illuc ista scribere, et obtinui, siquidem nemo eam illic noverat. Ex omnibus hucusque expositis deducitur virginem illam non fuisse in spiritu elevatam ut reapse exsequias, quando Romæ peragebantur, quasi præsens conspiceret, sed postmodum (2) visione imaginaria ostensa illi esse aliquot ejus adjuncta, eaque cum litteris Roma deinde acceptis concordare et sanctitatem defuncti ostendere. Cum itaque tot dotes concurrant illius personæ quæ visionem habuit, ac ejus etiam de quo facta est, et bonus rei exitus, absque omni respectu alicujus commodi, non videtur hic illusio timenda. Nomen

(1) Vestito di bianco.

(2) Die 18 Augusti in festo S. Rochi.

civitatis ei dictum non est, nec nomen juvenis, sed locum vicinum non esse et juvenem ex illis fuisse qui nondum essent sacerdotes (1). »

Jacobus Tirinus Præpositus Domus Professæ Antverpiensis : « Audivi etiam cum in Belgio essem, a Deo Domino nostro multa beneficia intercessione dicti Joannis concessa esse eaque vera et certa, et speciatim quidem mense Julio anni 1622 (2) Antverpiæ in Domo Professa, cujus eram Præpositus, periculose decumbebat Frater Guilielmus Stanuist(3), morboque ingravescente in dies, ac medicis de recuperanda valetudine desperantibus, confugit Guilielmus ad intercessionem dicti Joannis hæc proferens verba : Beate Frater Joannes, hanc gratiam tua intercessione a Deo mihi obtine, ut ab hoc lethali morbo me liberet. Quibus dictis subito melius habere cœpit et die sequenti lectum reliquit sanus et ab omni infirmitate liber. Cum itaque omnes mirarentur eum ita subito convaluisse, dixit se a morbo liberatum meritis et intercessione dicti Joannis, quod ego ex ipsomet Guilielmo frequentissime audivi. Retulit mihi præterea P. Guilielmus Bauters Rector Collegii Lovaniensis, intercessione et meritis ejusdem Joannis a gravi infirmi-

(1) P. 181 sqq.

(2) Processus Romanus, quamvis ubique nomine Processus anni 1622 nuncupetur, duravit tamen per annos 1622, 1623 et 1624, ut discimus ex Positione super Introduct. causæ pag. 2; quapropter mitiganda nonnihil quæ supra in notatione sunt dicta pag. 520 not. 2, sed cum Testis illic citatus initio Processus tertio loco testimonium dixerit, vix aliqua emendatione opus est.

(1) Legendum forte Stanurst, uti scribi potuit a Notariis ex auditu pro Stanihurst, nam in Necrologio ms. Provinciæ Flandro-Belgicæ Societatis, aliud nomen priori simile obvium non est, quam P. Guilielmi Stanihurst, qui obiit Bruxellis anno 1665. Potuit idem anno 1622 nondum sacerdos Antverpiæ habitasse.

tate liberatam esse amitam (1) dicti Joannis, quæ a multis annis ægrotabat. Audivi insuper ab eodem P. Bauters contigisse aliam sanationem a gravi infirmitate in Frisia, ejusdem intercessione et meritis. Etc. (2). »

P. Andreas Hellin Sacerdos Professus S. J. Testis in Processu Antverpiensi anni 1623 : Sibi narratum a Patre Rectore Collegii Societatis Jesu Rodumnensis juxta Lugdunum, virgini ibidem sanctitate celebri factam revelationem. Ipso die obitus vel postridie piæ memoriæ Joannis Berchmanni videbatur sibi videre juvenem linteatum in veste Societatis et pileo quadrato, de quo intelligebat divinitus, eum parem esse in meritis B. Aloysio; cum autem putasset unum esse ex Coadjutoribus dicti Collegii, opinionem correxit edocta Fratrem illum adhuc vivere; petebat ergo num quem Sanctum e Societate recenter defunctum dictus P. Rector cognosceret; quod cum ille negasset, duobus circiter post mensibus, idem Rector aliique Collegii socii se Deponentem audiverunt narrantem de piæ memoriæ Berchmanno. Tum Rector et Deponens ejusque itineris comes P. Marcus Van Doorne, in præsenti Rector Collegii Gandensis, contulere revelationem factam dictæ virgini, cum iis quæ Deponens ejusque comes de Berchmanno noverant, inventaque omnia paria. Examinata dein est ipsa virgo a P. Marco super dicta revelatione, ac eadem affirmavit quæ jam antea a Rectore et alio Societatis sacerdote, virginis confessario, fuerant affirmata (3).

P. Otto Zylius Rector Collegii Silvæducensis, Testis in Processu Antverpiensi anni 1623 : « Se accepisse a

(1) Vide supra p. 345 not. (2).

(2) P. 185 sqq.

(3) P. 188. Patres illi duo Andreas Hellin et Marcus Van Doorne cor Ven. Joannis in Belgium deferebant. Ibid. Cfr. supra p. 232.

Catharina Reyneri, vigesimum sextum ætatis annum agente, cujus confessiones excipiebat, quod ipsa Leovardiæ anno 1622 mense Novembri per mensem circiter laboraverit ex tumore in collo sub dextra maxilla, fere ad latitudinem manus elato atque instar asseris duro, ex quo dolore summo afficiebatur; decubuit tandem quatuor diebus, quibus ita increvit malum, ut nihil præ dolore edere, tantum pauxillum bibere potuerit. Adhibitis tum aliquibus Reliquiis dicti Berchmanni, factoque ab ipsa proposito ad sacram Synaxim accedendi in ejus festo et in vigilia jejunandi, subito mutata est, intra horam surrexit, edere cœpit et convaluit (1). »

D. Mutius Cittadini, Senensis, ex mortali qua decumbebat febri, ad invocationem Ven. Dei Famuli perfecte convaluit (2).

P. Joannes Baptista de Ruschiis, sacerdos Societatis Jesu, continua ac diuturna trium mensium febri exagitatus, ob quam a Medicis pæne phthisicus fuerat declaratus, accedente etiam acerbissimo atque intolerabili capitis dolore, collocatus in culcitis in quibus obierat Ven. Joannes Berchmans, depulsis omnibus morbi symptomatibus, pristinam sanitatem recuperavit (3).

Julius Rettabenus, ejusdem Societatis, redactus ad extremum vitæ terminum ex acuta et ardentissima febri, conjuncta cum summa virium imbecilitate, quæ ex præcedentibus infirmitatibus et impotentia cibos reti-

(1) P. 189.

(2) Comprobant hanc prodigiosam sanationem ex Processu Romano anni 1622 Testis 4 de auditu, 14 et 15 de visu, 16 de facto proprio, cum sit ipse sanatus.

(3) Ibid. Testis 11 ex certa scientia, 19 de facto proprio ipse sanatus, 22 de visu et facto proprio respective.

nendi fuerat progenita, implorato præsidio Servi Dei, brevi penitus et perfecte convaluit (1).

Catharina Recinatensis, quæ ex adventitio morbo in oculis visum penitus amiserat et a tribus mensibus erat cæca, cum ducta fuisset ad Ecclesiam S. Ignatii tempore quo ibi expositum erat corpus Servi Dei, invocato ejus patrocinio, digitum ejusdem admovet ad partem affectam, eodemque momento visum recuperat, clare ac perfecte videt, domumque incolumis et absque ullius auxilio est regressa (2).

Laurentius Morus Coadjutor Societatis Jesu ex infirmitatibus in amentiam ac delirium prolapsus, ut furiosum se gerens in custodia et vinculis detinebatur, frustraque adhibitis pluribus iisque efficacibus artis medicæ præsidiis, tandem a medicis insanabilis denuntiabatur; sed invocata intercessione Ven. Joannis, extemplo mentis sanitatem prodigiose recuperat, in eaque constanter perduravit (3).

Sancta Sperandino, uxor D. Octavii Sabaudi, applicata capiti imagine Servi Dei, perfecte sanata est a periculoso erysipelate in vultu, conjuncto cum febre, vehementissimo capitis dolore et copioso sanguinis effluvio (4).

D. Aloysius Riccardus, Rector parochialis Ecclesiæ S. Antonii Castri Novi, vulgo *Corneto*, cum diuturna et pertinaci febre exagitatus et nequicquam adhibitis remediis periculose decumberet, epistolam accepit a Gregorio Riccardo, ex fratre germano filio, qui Romæ versatus particulam obtinuerat vestis Ven. Joannis recens defun-

(1) Ibid. Testis 11 ex certa scientia, 22 de visu, 23 ipse sanatus.

(2) Ibid. Test. 13 de visu et observatione propria, 23 de auditu.

(3) Ibid. Test. 24 de facto proprio, 25 et 31 de visu.

(4) Ibid. Test. 26, 32 de facto proprio, 33 de visu.

cti, eamque epistolæ inclusam patruo transmittebat. Quam primum autem æger epistolam hanc manibus tenuit priusquam eamdem aperiret, illico spiritualem lætitiam percepit ac levamen non mediocre est expertus, etsi febris tum in accessione erat et solito gravior ægrum affligebat. Ignarus cui rei hujusmodi inopinatus effectus esset adscribendus, epistolam illam, in qua felicissimus Dei Famuli obitus ejusque miraculorum fama narrabantur, mox legit, et en simul febris, capitis dolor et aliud quodcumque morbi vestigium evanescunt, pristinas robustasque vires acquirit, incolumis e lecto prosilit, vestem sibi induit ac domo egreditur, ita ut a receptione memoratæ epistolæ ad perfectam sanationem ac virium restitutionem vix media intercesserit hora. Postmodum vero ex applicatione ejusdem Reliquiæ alia plurima prodigiosa beneficia, tam ipse sibi, quam alii consecuti sunt (1).

Leo Gallus omnes humanas diligentias ad mutuo obtinendam certam pecuniæ summam adhibuerat, eaque deficiente in summas angustias adducebatur; cum itaque ad patrocinium sæpe memorati Servi Dei confugisset, nobilis quidam vir ipsi ignotus et a quo pariter neutiquam noscebatur, optatam nummorum vim non requisitus offert eamque ultro reapse suppeditat (2).

Magdalena Navarra, virgo Romana, appensa collo Reliquia Ven. Servi Dei, perfecte sanata est a contumaci ac longa trium mensium contractione nervorum, ex qua lecto immobilis decumbere cogebatur; quæ mirabilis sanatio deinde constanter perduravit (3).

(1) De his plenissimam fidem faciunt in eodem Processu ipsemet sanatus, qui est Testis 27, et Test. 28 de visu in omnibus, et 30 de facto proprio et auditu respective.

(2) Ibid. Test. 29 ipsemet Leo Gallus de facto proprio.

(3) Ibid. Test. 34 de visu, 35 de facto proprio, quibus adminiculum addit Testis 36.

Dorothea Grisalli Bituntina (1) per dies quindecim acerrimo capitis dolore adeo excruciata, ut stolida effecta rationis usum pæne amisisset, confugiens ad intercessionem Ven. Servi Dei ejusque Reliquia capiti applicata, eodem puncto temporis omni dolore perfecte est liberata et ex integro sanam se sensit. Cum vero post aliquod temporis intervallum novus et gravissimus morbus in crure, qui tumor cancerosus putabatur, ei advenisset et atrocissimos inde cruciatus pateretur, infelix mulier vividissima concepta fiducia in ejusdem sui patroni meritis, appositaque similiter in loco male affecto eadem Reliquia, in hoc ipso momento, pulsis omnibus tumoris vestigiis et doloribus quibuscumque omnimode est sanata (2).

P. Joannes De Angelis, Societatis Jesu, articulorum dolores spatio sex annorum perpessus, cum anno 1627 sævioribus ejusdem morbi assultibus impeteretur, per dies quadraginta quinque decumbere coactus est, quo tempore eousque infirmitas excrevit, ut penitus amisso brachii dextri motu et corpore enormiter tumefacto, vix plus quam emortuum cadaver movere se potuerit. Accedebat præterea hepatis ac lienis obstructio ad hydropisim manifeste tendens, prout vulgo reputabatur. In tam exitiali morborum conflictu, quod a natura et arte æger obtinere non valuerat, e cælo quæsivit, enixe patrocinio Servi Dei se commendans; nec frustra, nam fugatis doloribus et intumescentia cunctisque prorsus morbi accidentibus, valetudinem pristinam ac integrum virium robur adeptus est. Contigerunt vero hæc omnia temporibus humidis, frigidis, procellosis, quibus nempe,

(1) Bituntum, vulgo *Bitonto* oppidum est diœcesis Barensis in regno Neapolitano.

(2) Super hac duplici sanatione confectus est Processus in oppido Pali (*Palo*) Barensis diœcesis, anno 1625.

prout æger experientia didicerat, morbus magis magisque desævire atque exacerbari consueverat (1).

Hyacintha Sacripantes, Monialis Professa in monasterio S. Bernardi civitatis Narniæ (2), asthmate, tussi, febri, alvi profluvio per duos et amplius annos dire exagitata fuerat, ex quibus identidem lipothymia et syncope opprimebatur, quodque notabilius est, spatio postremorum quatuordecim mensium jacere nullatenus poterat, sed super lectum sedere cogebatur. In cassum igitur adhibitis medecinæ præsidiis quibuscumque, gravior in dies fiebat tot malorum congeries, donec ægræ oblata imagine Servi Dei eoque invocato, in puncto temporis vires omnes recuperavit ac perfecte et ex integro sanam se vidit (3).

Maria Angela Guinigi, monialis Professa in monasterio S. Joannis civitatis Lucensis, cum per annos ferme tres pertinaci stomachi morbo fuisset conflictata et cibos jam nullatenus retinere posset, extrema inde debilitate viriumque imbecillitate affecta, ex medicorum prognosticis sine ulla spe salutis decumbebat. Recurrente vero anniversario die felicissimi transitus Servi Dei Joannis Berchmans, ejusdem ope implorata, confestim perfectissime convaluit, cunctisque præteritæ ægritudinis, non modo paroxysmis et accidentibus, sed et reliquiis, in puncto temporis evanescentibus, restitutaque fractarum virium firmitate, mane sequenti communi vitæ et disciplinæ sese supposuit ac perbene in posterum usquequaque valuit (4).

(1) Ex Processu confecto Setiæ (*Sezza*) anno 1627.

(2) Narnia, vulgo *Narni*, civitas episcopalis est, leucis circiter sexdecim a Roma dissita.

(3) Ex Processu Narniensi anni 1666.

(4) Ex unanimi relatione quatuor Testium in Processu Lucæ constructo anno 1674, cui consonant attestationes juratæ medici ordinarii et alterius medici.

Maria Crucifixa Ancaiani, Ordinis Visitationis B. V., debilem gracilemque sortita erat corporis constitutionem, et adhuc in sæculo vivens sæpius invaletudine fuerat affecta; ingressa dein monasterium S. Francisci Salesii urbis Romæ, post aliquot annos acribus et corrosivis salibus scatere cœpit, ex quibus cum lenta et continua febris fuisset progenita, merito scorbutica credebatur. Accessit vehemens tussis et non multo post acerrimus dolor in ventriculis cordis, cum adeo violenta pulsatione, ut decumbente ægra extrinsecus appareret. Medici ad ejus curam accersiti, morbi signis attente perpensis, unanimi consensu pronuntiarunt polypum pessimæ indolis in ea regione excrevisse. Inde mox enatus est universalis stupor in parte sinistra et præterea convulsiones vehementissimæ ac diversi generis paroxysmi, fusius a Testibus descripti, quorum relationes sine horrore legi non possunt. Deposita igitur omni salutis spe, mors jam erat in limine, quando invocato patrocinio Servi Dei et pectori illius imagine applicata, depulsis in momento physico universis morbi symptomatibus ac reliquiis, perfectam sanitatem et omnimodam virium restitutionem est adepta (1).

De hac sanatione nonnulla latine reddimus ex testimonio Monialis sanatæ, siquidem de eadem et omnibus sequentibus multa et longa testimonia typis excusa sunt. Hæc itaque inter alia multa testata est dicta Monialis in Processu Romano anni 1742: « Noctem illam (inter diem 6 et 7 Aprilis) inquietam duxi, ut mihi Moniales dixerunt, nam animum satis præsentem non habebam ut hæc scire possem, dictumque mihi est medicum dubitasse an sequenti mane me adhuc vivam esset visurus. Mane igitur circa horam undecimam sufficiens mihi ad-

(1) Summ. cit. p. 202—206. Contigit postremo memorata sanatio die 7 Aprilis anni 1729. Ib. p. 210.

fuit cognitio ut serio facerem quod jam dicam, cujus rei vividam teneo memoriam : obversata est scilicet menti imago illa quæ super cervicali fuerat deposita, et subito in animo exorta est hæc fiducia, me per intercessionem Servi Dei valetudinem posse consequi. Tunc manu dextera, quam libere movebam, dictam imaginem cepi, eam supra caput posui et illico post supra pectus. Quod autem evenit hoc est, ut in ipso momento me perfecte sanatam senserim, et emplastris causticis et linteis adhuc involuta, pedibus sinapismo obductis, statim surrexi et in genua me provolvi, ut recitato ter Pater et Ave Servo Dei gratias agerem.....

« Quum Chorum essem ingressa tria Sacra sunt dicta unum post alterum, in honorem SS. Trinitatis et in gratiarum actionem ob præstitum miraculum; et ego his tribus Sacris interfui semper de genibus, quin ulli rei inniterer et absque ullo meo incommodo. Absoluto tertio Sacro, advenit medicus D. Hyacinthus Pesci, nunc vita functus, qui cum solito signo se adesse significasset, a janitrice clavem locutorii accepit, eaque rogabat ut prius illuc ingredi et exspectare vellet. Verum medicus id ægre tulit, ut mihi narratum est, dicens sibi statim januam esse aperiendam seque impatienter ægram requirere, si adhuc in vita erat. Responsum est intraret modo nec de ægra sollicitus esset, eam vivere adhuc. Audiveram interea medicum adesse et jam ipsa locutorium adiveram. Cum igitur illuc ingressus esset medicus (1) meque vi-

(1) « Entrato il medico, in vedermi qui restò talmente sorpreso da questa novità, che pareva non sapesse parlare, e dopo esser stato qualche poco quieto, mi ricordo che proruppe in questa proposizione : *Ma che vedo io, sono Santi o sono demoni?* Allora io gli dissi unitamente con la Superiora Suor Angela Eleonora Lazzari, e l'infermiera, che erano Santi che avevano impetrata la grazia, e gli facessimo vedere l'istessa immagine, che

disset, adeo obstupuit ad rei novitatem, ut loqui non posse videretur, et cum aliquandiu substitisset, memini eum in hæc verba erupisse : « Quid video, Sanctine sunt, an dæmones? » Tunc ego simul cum Superiorissa Angela Eleonora Lazzari et valetudinarii præfecta, Sanctos fuisse respondi qui gratiam illam obtinuerant, et ostendimus ei eamdem illam imaginem, quam adhuc manibus tenebam, sicuti etiam per tria memorata Sacra eam non dimiseram. Audivit tunc medicus rem totam narrari et conclusit verum esse miraculum, addens se nolle hanc sibi anxietatem comparare ut Servum Dei hac gloria sibi debita defraudaret, si casu, morte interveniente, quæ evenerant testari non potuisset, ideoque se de his testificationem litteris consignare velle. Paucos post dies eam reipsa attulit et in manus Superiorissæ tradidit, in eaque morbi seriem testabatur et miraculosam sanationem.

« Egresso medico et instante jam hora Missæ conventualis, accessi ad Chorum cum reliquis Monialibus, eamdem imaginem adhuc manu gerens, Missæ interfui, eaque absoluta simul omnes cantavimus *Te Deum* in gratiarum actionem, et Confessarius monasterii, qui sacris operatus erat et hymnum *Te Deum* præcinuerat, eo cantato, addidit orationem *pro gratiarum actione*. Inde cum ceteris triclinium adivi et die illo quidem (feria quinta infra hebdomadam Passionis) carnibus non abstinui, sed

io ancora continuava a tenere in mano, che non l'aveva mai posata per lo spazio delle tre Messe. Sentì il medico tutto il racconto e poi concluse esser questo un vero miracolo, e che lui non voleva avere il rammarico di defraudare questo Servo di Dio di quella gloria che gli si doveva, in caso che fosse stato sopraggiunto della morte, e che perciò intendeva farne un attestato, come infatti pochi giorni dopo lo portò, e lo consegnò alla Madre Superiora, in cui attestava la serie della mia malattia e la miracolosa sanazione. » P. 210.

sequenti Quadragesimam observavi et deinceps usque ad finem, ac laborare cœpi ut alia quæcumque Monialis etc... Ut summatim dicam, ex relato miraculo perfecte sanata et ab omnibus præcedentibus infirmitatibus libera remansi, et illud quidem primum miraculum est quod a Deo obtinui intercessione illius Servi Joannis Berchmans (1). »

Postquam eadem Maria Crucifixa Ancaiani spatio duorum annorum cum dimidio prospera valetudine erat usa, nullumque percipiens aut præteritæ ægritudinis aut alterius cujuscumque vestigium, consueta monasterii exercitia et laboriosa etiam officia obierat, novis supervenientibus causis, novum ac perniciosum malum eam aggressum est, cancerosus nempe tumor, qui anno 1731 mense Octobri ei supra pectus excrescens, eam dire exagitare cœpit. Exulcerato deinde remediis quibusdam potentissimis dicto cancro, cum ea sit hujus indomiti mali indoles, sensim augebatur et acerbiora in dies efferebat symptomata, donec ægra, quæ jamjam imminentem mortem unice exspectabat ac vitæ pertæsa in votis habebat, suadente Confessario, Ven. Dei Famulum invocare cœpit, et aliquanto post, die 19 Augusti anni 1733, tempore pomeridiano, cum ejusdem patrocinio a lethali morbo liberari peteret, subito digitum Dei experta est ac momento temporis a mortis limine revocata ad pristinam integerrimam sanitatem ac virium firmitatem. Perduravit vero deinceps constanter obtenta valetudo et durabat adhuc anno 1745, dum Processus apostolicus Romanus instructus est (2).

(1) P. 210 sq.

(2) Comprobant utramque hanc sanationem septem primi Testes Processus Romani anni 1742, omnes de visu et facto proprio respective. Ad unguem insuper concordat fides jurata medici ordinarii, ante Processum defuncti. Eædem duæ prodigiosæ

Maria Constantia Chiaramonti Monialis Professa Romæ in monasterio S. Annæ Ordinis S. Benedicti, anno 1721 subitaneo morbo oppressa, notabilem exinde stomachi affectionem, oris distorsionem, memoriæ defectum summamque mentis hebetudinem perpeti cœpit. Crevit infirmitas deinceps symptomatibus plurimis accedentibus, impotentia videlicet respirandi, labiorum ac linguæ convulsionibus et extraordinario crurum torpore, ex quo omnis incedendi facultas tandem adempta est. Perstiterunt hæc ad annum usque 1729, quo Ven. Dei Servus Joannes Berchmans, iterato in somnis apparens alteri piissimæ Monachæ ejusdem monasterii, miraculosam ægrotæ sanationem suis meritis obtinendam manifesto prænuntiavit; veluti etiam reapse evenit: nam invocato Dei Famulo et applicata illius imagine membris ægritudine præcipue affectis, statim undequaque sanata est cum omnimoda virium restitutione (1). Recuperata autem sanitas adeo constans fuit ac perfecta, ut Monialis immunis deinde fuerit non solum ab eodem aut simili morbo, sed ab alia quacumque infirmitate, et tredecim post annis, tempore Processus informativi Romani anni 1742 adhuc optime valebat (2).

sanationes iterum accurate examinatæ sunt post Introductionem causæ (ut fieri consuevit si Testes supervixerint), in Processu Apostolico Romano anni 1745 et decem minimum Testes, omnes de visu aut facto proprio, inter quos confessarius monasterii, medicus, chirurgus et ipsa sanata easdem similiter sunt attestati. Summ. super Introd. p. 206—227 et Summ. super quatuor mirac. p. 185—260.

(1) Die 15 Martii anni 1729.

(2) P. 227—244. Comprobant sanationem illam ex Processu Romano anni 1742 Testis 8 ipsa sanata, Testis 9 Monialis illa cui sanatio prænuntiata fuerat; hæc anno 1729 etiam ægra decumbebat, de quo in narratione sequenti; Testis 13 medicus monasterii, et præterea Testis 10, 11, 12 et 14, omnes de visu.

Maria Ignatia Mauri, Monialis Professa in eodem monasterio S. Annæ de Urbe invocato Servo Dei admotaque ejus imagine et Reliquia gutturi ac membris quæ ex infirmitate riguerant, omnium membrorum ac vocis usum recepit et subito libera evasit ab exitiosa plurium morborum congerie, qui eam ad vitæ terminum sensim deduxerant. Hæc vero sanatio ejusque adjuncta, a Dei Servo manifeste et singillatim prænuntiata fuerant in pluribus apparitionibus, quæ ipsimet ægrotæ in somnis contigerant; quas quidem prædictiones ad amussim eventu comprobatas fuisse ipsa vespera diei 3 Maji anni 1729, quo sanatio obvenit, non sine summa adstantium admiratione compertum est (1).

Maria Angela Gilivet, Romana, a nativitate infirma et medicorum curis perpetuo usa, anno 1739 monasterium Ordinis Cisterciensis Nepete (2) ingressa, in eodem ex commiseratione ad Professionem admissa est et usque ad annum 1747 variis ac perpetuis infirmitatibus afflicta. Dicto anno rheumatismus acerrimus totum corpus invasit, quem exceperunt tremores membrorum et crurum attractio, ita ut deinceps baculis innixa incedere debuerit; ac eodem tempore una costarum a propria sede divulsa est. Anno 1749 prædictis infirmitatibus accessere quotidianæ convulsiones, et morbus scorbuticus, quo inficiebatur, ad summum gradum pertigit, lingua contracta est, ita ut aliquando loqui vix posset, et collo similiter vehemens contractio accessit. Medicus igitur, cum tot doloribus eam conflictatam cerneret, die 20 Junii ejusdem anni eam desperatam renuntiat et a remediis præbendis deinceps abstinet. Mense Augusto Episcopus

(1) P. 245—267. Cum eodem anno ac eodem in loco hæc sanatio evenerit ac præcedens, Testes iidem de utraque dixerunt.

(2) Nepis vel Nepet, vulgo *Nepi*, leucis circiter octo a Roma distat.

Nepesinus, qui nuper duplicem sanationem intercessioni Ven. Joannis Berchmans adscriptam in oppido Roncilionensi examinaverat, suadet Confessario ægrotantis ut patrocinio ejusdem Servi Dei se commendet. Die itaque 15 ejusdem mensis in festo B. V. in cælos assumptæ, novemdialem devotionem inchoat cum reliquis Monialibus, imaginem Servi Dei veneratur, votum concipit et vespere diei 16 placido obveniente somno, sequenti mane perfecte sanatam se reperit (1).

De hac sanatione hæc inter alia testatus est Ferdinandus Tondi medicus Nepesinus in processu apostolico Nepete constructo anno 1751 : « Mense Augusto (anni 1749) die, ut mihi videtur decimo septimo vel decimo octavo, accessit ad me D. Angelus Milizia Confessarius Monialium, ut jam supra a me dictum, et cum gestu admirationem referente, mihi manifestavit subitaneam ac perfectam sanationem Mariæ Angelæ Gilivet miraculo obtentam ex intercessione Venerabilis Servi Dei Joannis Berchmans. Obstupui ad hujusmodi narrationem et difficulter adhibita fide, dixi eo ipso die vel sequenti monasterium me aditurum, ut per me ipsum quæ asserebantur inspicerem, quorum veritati tum plene assentiri non poteram. Illud itaque executus sum, vocataque ad cancellos locutorii dicta Angela Maria cum matre Abbatissa, vidi eam erectam et expedite ad cancellos accedentem, motusque bene multos quos ei præscripsi, similiter expedite peragentem, ut vere ac perfecte sanatam; libere etiam movebat caput et reliquas partes corporis et costam dimotam ad pristinum locum rediisse asserebat. Tunc fidem miraculo, quod jam adeo manifestum erat plene præ-

(1) Auditi sunt super hoc prodigio coram Episcopo Nepesino aliisque judicibus Testes minimum decem, omnes de visu aut facto proprio, inter quos monasterii confessarius, medicus, chirurgus et ipsa sanata. Summ. super quatuor mirac. p. 1-85.

stiti, et exclamavi vere mirabilem esse Deum in suis Servis. Hæc est series illorum quæ in hoc miraculo contigerunt, primo quidem et unico quod in vita mea ac professione medica viderim, post tot et tam funesta symptomata, quæ miseram Monialem a nativitate vexaverant (1). »

(1) Ib. p. 30. Quædam alia hic adjicimus ex ejusdem medici testimonio, ea qua dictum est lingua : « Le altre convulsioni, estensioni del suo corpo, sono state da me descritte, ed ora le ratifico averle io riconosciute in più volte per orribili, particolarmente in quella convulsione anteriore, per la quale riducevasi come in un giomelo, e che col termine greco da noi si esprime Emprosthotonos, e di nuovo similmente ratifico tutti gli altri sintomi abondantemente di sopra descritti, da me in parte veduti, ed in parte raccontatimi posteriormente dall' ammalata e dalle accompagnatrici Religiose; onde dirò col poeta : quis talia fando temperet a lacrimis, in apparato così ferale di sintomi innumerabili e tutti maligni.....

« Di tal repentina ed istantanea risanazione, io benchè di professione medico, posso deporre che sia stata veramente miracolosa ed istantanea, perchè conseguita in un male dove la natura non poteva supplire e l'arte somministrare altri rimedii, e con una istantaneità tale, che nè è solita nè può la natura produrre. E che precisamente tal miracolo sia seguito ad intercessione del Venerabile Berchmans, è ciò che io in me stesso fermamente sento, e son persuaso che creda la stessa D. Maria Angela risanata, le Religiose tutte di questo monastero di san Bernardo, tutte le persone di questa città bene informate, ed anche de' luoghi circonvicini, essendosi per i medesimi sparsa la pubblica voce e fama di tal strepitoso ed insigne miracolo...

« Nello stato presente la Religiosa si trova in perfetta salute (anno 1751), nè da quel tempo la Religiosa è ricaduta più ne' mali simili. » P. 34 et 37.

Audiatur demum aliquantisper ipsa Monialis sanata : « Lo pregai (il Venerabile Berchmans) che se era per salute dell'anima mia mi restituisse la sanità per servire Gesù mio Sposo in questo santo luogo, e non essere più di tanto aggravio alla Comunità

Dominica Maria Gualdi, Roncilionensis, in Religione dicta Maria Angelica a SS. Trinitate, anno 1752, cum Novitia esset in asceterio Roncilionensi Ordinis S. Francisci, vehementissimis doloribus stomachi, super quo mox tumores scirrhosi excreverunt, affligi cœpit, et accedente febri, paucis post mensibus viribus exhausta

ed alle mie sorelle Religiose. Mi addormii soavemente e presi un sonno placido, nel quale durai da sette ore in circa, che con tanta placidezza e per così lungo tempo non ho mai dormito in tempo di mia vita. La mattina al levar del sole, quando andavano le Religiose al Mattutino mi svegliai e riconobbi di avere le gambe distese affatto, il collo disteso e dritto, e toccatami la banda sinistra, dove era la costola enormemente elevata, come ho detto, la ritrovai che era ritornata al suo sito naturale, come erano le altre, mi sentiva svanito il peso che aveva nella spalla sinistra, ed il braccio ad essa attaccato libero, sciolto e con piena forza. Da principio mi pareva di sognare, ma facendo tutti i moti, ben presto compresi di essere miracolosamente stata risanata, ed in tale istante che io non posso dire o disegnare quale sia stato..... Intanto uscì la madre Abbadessa dal Coro; io m'inginocchiai alla medesima, dicendole: « Miracolo, Madre, io sono perfettamente sanata per intercessione del Venerabile Servo di Dio Giovanni Berchmans. » Detta madre Abbadessa restò stupita e mi disse che dovessi ringraziare Dio ed il Venerabile medesimo, ed io le risposi che già lo aveva fatto nella santa Messa ascoltata. Uscirono intanto le Religiose dal Coro, e tutte nel vedermi risanata stupirono; chi di esse piangeva, chi rideva, e ciascuna cercava di abbracciarmi e rallegrarsi con me; ed io nello stesso giorno, per dare a tutta la Comunità riprova di tanto miracolo in me seguito, volli spazzar la cucina, portar la legna e suonar le campane che si suonavano per allegrezza per l'occasione della vicina festa del nostro glorioso Santo Bernardo. Ecco riferito alle Signorie loro Illustrissime e Riverendissime tutta l'intiera serie del miracolo da me ricevuto dal Signor Iddio ad intercessione del mio glorioso Venerabile liberatore Giovanni Berchmans. Perdonino se sono stata lunga, ma l'affetto mi porterebbe a parlarne sino a domani. » P. 44 sq.

est. A die decima Octobris ejusdem anni, ob continuos singultus et nauseas nullum omnino cibum aut potum, et demum nequidem aquæ guttulam sorbere potuit. Die decima quinta suasum est Religiosis et ipsi moribundæ ut ad patrocinium Servi Dei Joannis Berchmans confugerent, quod eadem die fieri cœptum. Nocte sequenti intelligit ægra ex insolita quadam voce se post recepta morientium Sacramenta incolumem fore; mane facto cessaverant quidem singultus et nauseæ, ita ut sacrum Viaticum recipere potuerit, sed persistentibus reliquis omnibus morbi accidentibus, deficiente venarum pulsu et oculis jam caligine offusis, medicus Confessarium monuit ut Extrema Unctione eam muniret, sicuti eodem die, tempore pomeridiano factum est. Res miranda! membra singula, dum inungebantur, pristinum robur recuperarunt et absolutis unctionibus Religiosa ex integro et perfecte sanata est (1). Attamen voto quo se obstrinxerat,

(1) Aliqua hic subdimus ex testimonio Dominici Diotallevi medici Roncilionensis : « Incontratomi io a caso a passare avanti al monastero verso le ore ventuno in circa (die 16 Octobris), veduto sortire dal monastero il Padre Confessore (de quo alibi dicitur : era in quel tempo il Padre Giovan Vincenzo di Roma dell' Ordine de' Minori Osservanti, morto alcuni anni sono in Viterbo. p. 87), il di cui nome non mi sovviene, lo interrogai per sapere da esso l'ora precisa, in cui Suor Maria Angelica fosse passata all' altra vita, e mi rispose che egli allora veniva d'averle somministrata l'Estrema Unzione, e che istantaneamente al terminare di quella sagra funzione per precisa invocazione del Venerabile Servo di Dio Giovanni Berchmans era la Religiosa predetta affatto sanata, e mi descrisse molti segni della ricuperata intiera salute, che mossero la mia curiosità a volerne essere oculare ispettore... (la) ritrovai a sedere sul letto col suo colore naturale, indicante il ritorno delle naturali forze; toccatigli da me i polsi li ritrovai validi e in stato sanissimo, quando dal decubito suo sino al perdimento di essi erano sempre precipitanti sino

Romam mittendi tabellam argenteam votivam, cum audisset hujusmodi tabellas ad sepulcrum appendi non posse, se non liberavit; quocirca die 24 Novembris ejusdem anni subito in eumdem prorsus morbum eademque symptomata recidit: quibus agnitis medicus persuasum habuit hæc præter naturam contigisse, et cum audisset in priori morbo votum fuisse nuncupatum, nec exsolutum, suasit ut sine mora id fieret nec ullum prœbendum esse remedium duxit (1). Adhibita igitur diligentia

all' amissione de' medesimi nella mattina in cui l'aveva visitata. come ancora visitato lo stomaco gonfio e duro per l'avanti in tutta la sua regione, durato similmente per tutto il decorso della sua lunga infermità, trovai che era disparito ogni gonfiore e ridotto al suo stato naturale. Volli che in mia presenza bevesse il secondo brodo, dopo il primo che mi dissero le Religiose averle dato, e viddi ch'ella senza alcuna difficoltà, anzi con molto sapore lo bevette, quando per sei antecedenti giorni non poteva assorbire neppure una stilla d'acqua. Avendo essa Novizia Suor Maria Angelica dimandato di scendere al parlatorio (nam ejus parentes de prodigio moniti eo jam se contulerant. Ib. p. 117). io riscossomi dalle maraviglie concepite per un così prodigioso miracolo, assentii che andar potesse e glorificare Iddio mirabile ne' suoi servi... Si portò dunque la Religiosa, con la pienezza delle sue forze, senza alcun ajuto, scendendo le scale al parlatorio, come avrebbe potuto far prima che da alcun male fosse assalita ecc. » P. 161 sq.

(1) « Onde io a tanti effetti sopranaturalmente accaduti non volli che la mano umana aver dovesse alcuna parte. » Idem ibid. De consecuta mox altera sanatione hæc idem medicus testatus est: « Continuandosi dalle Religiose l'invocazione del Venerabile Servo di Dio Giovanni Berchmans, nel quarto giorno di questa recidiva, dopo similmente aver ricevuta l'Estrema Unzione si ritrovò di bel nuovo per la seconda volta istantaneamente risanata con tutte le manifestazioni e segni del (primo) miracolo da me riferito, sicchè potè da se vestirsi, alzarsi, scendere al Coro senza ajuto, e cantare con le altre Religiose il *Te Deum* in

ut voto quamprimum ac legitime satisfieret, ingravescebat interea morbus et die 28 Novembris ægra Viaticum iterum accepit, sed circa vesperam, dum oleo sacro inungitur, subito et eodem prorsus modo ac sex ante hebdomadis sanitatem adepta est (1).

rendimento di grazie e far altre funzioni e orazioni, che una pienezza di forze miracolosamente ottenuta potè darle vigore di fare, e nelle quali so che continuò per l'anno che io restai in Ronciglione (nam ab annis 16 alibi habitabat), e per essermi in questa occasione, che qua mi sono portato, stato riferito, non è più ricaduta in simil specie di male, anzi ha sempre goduta perfetta salute, come io la potei vedere e la viddi nel giorno precedente; ed ecco alle Signorie loro Illustrissime e Riverendissime raccontata la serie non di uno ma più prodigiosi miracoli operati dal Signor Iddio ad intercessione del Venerabile Servo Giovanni Berchmans ecc. » Inferius vero aliqua addit de eodem secundo prodigio : « Nell' apprestarsele il sagramento dell' Estrema Unzione, da essa con voce languida richiesto, di nuovo istantaneamente e perfettamente guarì, nè più e nè meno come la prima volta... essendo io pochi minuti dopo l'operazione del secondo miracolo sopraggiunto, e come ocularmente viddi e riconobbi con tatto de' polsi, dello stomaco, nel ritorno del colore e delle forze, sicchè questa seconda volta la ritrovai fuori del letto e vestita a sedere sopra di esso ed ebbi occasione di magnificare la potenza di Dio ne' suoi Santi ecc. » P. 162 et 165.

(1) Ex Processu Apostolico Roncilionensi anni 1749, in quo examinati sunt testes octo, omnes de visu aut facto proprio, inter quos numerantur medicus, ipsa sanata ac ejus pater Stephanus Gualdi, mercator Roncilionensis. Ib. p. 84—184.

EXCERPTA ALIQUOT

EX ACTIS S. ALOYSII GONZAGÆ.

Imago S. Aloysii picta a Ven. Joanne. Hujus epistola ad D. de Froymont Canonicum Mechlinien-sem. Quam similis fuerit Ven. Joannes S. Aloysio. Prodigiosa curatio Josephi Spinelli Soc. Jesu, apparente ei S. Aloysio et Ven. Joanne, Panormi facta (1).

Primus locus Actorum S. Aloysii Gonzagæ in quo de Ven. Joanne mentio occurrit, ille est ubi imagines quædam præcipuæ ejusdem Sancti recensentur; ex quibus memorata una quæ in numismate cusa erat, et vix unum pollicem cum dimidio alta, sic prosequitur Janningus, auctor Commentarii prævii ad Vitam S. Aloysii (2) :

« Alia quam habemus imago, isti habitu vestituque simillima (3), sed triplo major quam exhibeatur in numismate, delineata est (et ideo magni pignoris loco no-

(1) Quæ diversis locis Actorum S. Aloysii de Ven. Servo Dei obvia sunt, hic uno tenore referimus, siquidem pleraque aliquo narrationis nexu junguntur.

(2) Acta SS. tomo 4 Junii ad diem 21 pag. 864 n. 79 sqq.

(3) De præcedenti sic scripserat : « Aloysium repræsentat stantem, oculis vultuque in cælum elevatis, diademate occiput cingente, manibus in modum crucis ante pectus transversis et ad collum usque elatis, pallio aperto et post tergum defluente; pede dextero globum, mundi typum, premente; corona inversa jacente humi etc. »

bis habetur) ab innocentissimo Beatique Aloysii æmulo Joanne Berchmans, e Societate et Belgio nostro, Romæ in eodem Collegio, ubi triginta ante annos obierat Aloysius, sancte mortuo, anno 1621, 13 Augusti, dum studiis ibi philosophicis, uti Aloysius theologicis, operam dabat; celeberrimus innocentia vitæ, custodia sensuum, observatione legum religiosarum, amore rerum cælestium et observantia cultuque magnæ Dei Matris, qualem esse filii decet. Is, non contentus in his omnibus aliisque sedulo imitari Aloysium, imaginem quoque ejus, quam dixi, sibi pinxisse videtur, ut ubique locorum conferre, et cum liberet inspicere posset. Est enim in charta communi picta atque apta aut libello aut pectorali capsellæ imponi. Picta autem est penna, colore nigro, non imperite : subtus legitur, *B. Aloysius Gonzaga;* et in aversa parte notatur alia manu (illius crediderim, qui primus thesaurum istum hæreditavit), *Fr. Joannes Berchmans Jesuita delineavit hanc imaginem, qui obiit cum opinione sanctitatis.* Satis apparet hanc inscriptionem non esse hominis e Societate Jesu, sed potius ex alio Ordine religioso, ubi consueverunt τὸ *Fr.* præfigere nominibus propriis; et verosimiliter ex alumnis S. Francisci Assisinatis : donata namque fuit illa, cum alia Berchmanni Reliquia, Patri nostro Danieli Papebrochio, anno 1667 in strenam, ab admodum Rev. P. Guilielmo Herinx, Ordinis FF. Minorum Provinciali, deinde Episcopo Iprensi : qui testabatur, se illam habuisse e sacro thesauro cujusdam religiosissimi Patris sui Ordinis defuncti, qui et sacrarum Reliquiarum exquisitus cultor custosque curiosus fuerat, et Berchmannum olim studentem noverat.

» Plura addere de hoc præclaro æmulatore Aloysii nihil hic attinet; licebit tamen, quia æmulator ejus fuit, specimen æmulationis unicum dare ex epistola quadam

ms. Romæ anno 1619, 25 Novembris exarata; cujus exemplum apud nos est, ex autographa quæ hodiedum magna religione servatur Mechliniæ, a consanguineis illius cui inscripta fuit, hisce verbis : *Admodum Venerando Domino D. Joanni de Froymont* (1), *Cantori et Canonico ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniæ*. In illa quam magni vocationem suam ad Societatem, quam parvi vero carnem et sanguinem et gloriam mundanam faciat exemplo Aloysii, manifeste indicat his verbis :

« Admodum Venerande Domine — Pax Christi. — Ingrati animi subire vererer notam, si hac præsertim » opportunitate Dominationem vestram insalutatam vellem, utpote cui tantum debeam. Tibi enim, Venerande » Domine, et quidquid in studiis peractum feliciter, et » quidquid in animum meum divini illius lactis, timoris » Dei scilicet et pietatis, instillatum est, acceptum refero; » imo et hoc ipsum quod in Societate Jesu, indignissimus quidem et nequissimus, fateor, fateor lubens, » Socius tamen Jesu sum (quod mihi sufficit) tuæ, inquam, hoc debeo religiosissimæ educationi. Romæ, » quo Superiorum meorum jussu præcedenti anno profectus Mechlinia sum, perbelle valeo. Primum in philosophico pulvere (2) annum jam emensus sum in

(1) Apud quem Ven. Joannes annis amplius tribus cum dimidio habitavit, ab ineunte circiter anno 1613 usque ad diem 24 Sept. 1616, quo Societatem ingressus est (supra p. 25 sqq.). Ejus nomen a Cepario in editione italica scribitur *Freimont*, quod et in latina servatum est, nec differt flandrica vetus, adornata a P. Susio in qua scribitur cum *y* loco *i*; verosimillimum tamen est scriptionem genuinam illam esse quæ hic adhibetur, eaque facile ex pronuntiandi modo vitiari potuit. Idem nomen *de Froymont* legitur in aliquo epitaphio Templi metropolitani Mechliniensis in op. *Le théâtre sacré de Brabant*, tom. 1 liv. 1 pag. 41.

(2) i. e. in arena, seu in campo philosophico, locutione veteribus familiari, cujus sensus recentiori ævo aliquando contemptim detortus est.

» Collegio Romano Societatis nostræ, in quo ad ducentos et eo amplius Patres et Fratres agunt ut plurimum, » studiis continuo navantes operam. Res mira est; omnes » fere e diversis sunt nationibus, Hispani, Poloni, Germani, Lusitani, Dalmatæ, Siculi, Neapolitani, Belgæ, » Lithuani, Galli etc. et tamen tanto amoris et caritatis » vinculo uniti sunt, quasi ejusdem omnes matris filii » forent. Inter hos et ego, o Deus bone!

» Tum cupit ex libro baptismali Diesthemii patriæ suæ *certo* doceri, quot annos natus sit; ac demum sub finem epistolæ desiderat, ut dominus ille curet, *fratres suos et sororem singulis septimanis confiteri, et singulis mensibus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumere*(1). *De reliquo*, inquiens, *nihil sollicitus sum. Mendicare ostiatim meos, graviter non ferrem nec erubescerem; Deum mortaliter offendere, tolerare non possem.* Hæc ibi. Plura ejus, virtutum Aloysii imitamina, videri possunt in Vita quam idem Ceparius qui Vitam B. Aloysii concinnavit, non minus ample a se compositam impressit Romæ anno 1627; volente, opinor, Deo, ut qui gestis plerisque pares fuerunt, eumdem quoque virtutum suarum præconem haberent. Unus porro e fratribus Berchmanni nostri (sive viventis et vocationem suam plurimi facientis exemplo, sive demortui precibus id ei a Deo consecutis) et ipse ingressus est Societatem, Carolus nomine, placidus moribus, præclarus asceticæ vitæ magister, mortuus in ætate provecta Aldenardæ anno 1666, die 17 Januarii. »

Paragrapho XVII ejusdem Commentarii, cui iste est titulus : *Virorum aliquot sanctitate aut doctrina il-*

(1) Quoties ipse Servus Dei ad hæc Sacramenta accederet ante ingressum Religionis, vide in Vita p. 20 et 31. Aliquid in his tribuendum usui temporum et locorum, uti nos monet S. A. de Ligorio Theol. mor. l. 6 n. 254.

lustrium erga B. Aloysium veneratio et cultus, Janningus primo loco de Ven. Joanne mentionem habet, adductoque testimonio Ceparii in ejus Vita (1), hæc insuper addit : « Principium hujusce studii imitandi B. Aloysium, et occasio amplectendi Institutum Societatis, Joanni fuit (uti frequens ipse commemorabat) lectio Vitæ Aloysianæ; et in imitatione ejus taliter profecit, atque omnia prototypi lineamenta ductusque virtutum tam perfecte expressit in se, ut vix sciam, an Sancti duo alii unquam fuerint similiores omni genere virtutum et gestorum, quam sint isti, observatione minimorum, suum Deo zelum et amorem ambo testati summum. Qui, quod assevero, cognoscere propius cupit, utriusque Acta, ab eodem auctore Cepario, ut dixi, conscripta, inter se conferat. Quibus id otii non est, consulant singula de utroque testimonia, duorum Societatis nostræ Præpositorum Generalium, Claudii Aquavivæ et Mutii Vitellesci, sub quibus uterque in Collegio Romano vixerunt ac mortui sunt : et aliqua inde similitudo elucescet.

» Testimonium Claudii de Aloysio, Vitæ hujus præfixum, legere erit infra suo loco (2). Testimonium Mutii de Berchmanno, pariter præfixum hujus Vitæ, sic incipit : Felicis memoriæ Frater noster Joannes Berchmans... (hic partem illius Testimonii recitat Janningus, quod legi potest supra pag. 1.) Hæc omnia, ita prosequitur, mutato nomine, æque Aloysio conveniunt (3), ac de illo non tantum in Testimonio P. Claudii, verum etiam per totam ejus Vitam prædicantur. Vin' plura de hoc argumento? Non solum in terris similes moribus

(1) p. 179 sq.

(2) Acta SS. loc. cit. p. 918.

(3) Dicendum pariter de Testimonio Claudii, in eo nihil esse quod non aptissime quadret in Ven. Joannem.

fuisse, sed meritis quoque in cælis similes esse, persuadere possit simultanea utriusque apparitio non una, in quibus simul opem suam tulerunt ægrotantibus, spe opis humanæ destitutis. Præclarum hujus rei exemplum videbitur infra in curatione Josephi Spinelli, apparentibus ei aliquoties Aloysio atque Berchmanno peracta (1). »

Sanationem Josephi Spinelli narrat Janningus in Supplemento miraculorum S. Aloysii cap. VIII (2), de qua hæc pauca delibasse sufficiat : « Aliud magis mirabile exemplum suæ in miseros benevolentiæ dedit Aloysius, Panormi in celeberrimo Siciliæ emporio ; dedit autem in juvene ejusdem Societatis Jesu, cui nomen Josephus Spinelli, anno 1635. Non uno is afflictabatur malo, amens, mutus, paralyticus, semimortuus, et quid non? Confugit ad opem S. Aloysii, cujus sacra maxilla in collegio Panormitano religiose conservatur ; et opem invenit, apparentibus ei aliquoties B. Aloysio prædicto et Aloysio altero Joanne Berchmanno, de quo plura in Commentario prævio. Rei gestæ historia, illo ipso tempore quo gere-

(1) Alia simultanea apparitio refertur in Anno dierum memorabilium Soc. Jesu, auctore Nadasi, ad diem 13 Augusti. Huc etiam spectat visio aliqua superius relata (p. 353), quam sic idem Nadasi paucis enarrat : « Lugdunenses hujus anni (1621) epistolæ affirmant, eo die quo ille Romæ diem obiit, visum esse per quietem piæ Virgini juvenem e Societate, in sarcophago ante altare jacentem B. Aloysio meritis parem. Ejus cor postea, istuc allatum osculata et tota deliciis illiquefacta cum oraret in templo, audire sibi visa est illius adolescentis cor hoc esse quem viderat jacentem in templo Aloysio parem. » Ex his omnibus credibile fit etiam in sequentibus S. Aloysium significari : « Anima ejus (Ven. Joannis), inquit P. Jacobus Stratius Flandro-Belgicæ Provincialis (in Menologio ms.), cuidam e nostris a Beatissima Virgine, stipata altero juvene induto superpelliceo cum magna gloria in cælum deduci est visa. » Nadasi ibid.

(2) p. 1075.

batur, descripta fuit a spectantibns, ex proprio oculorum suorum testimonio; et quæ spectari non potuerunt, ex fida ipsius ægri relatione, qui et, quod isti scripserant, lectum approbavit. » Sequitur prolixa narratio, quæ magnam partem inserta est in variis editionibus Vitæ S. Aloysii.

DECRETUM

IN CAUSA

ROMANA SEU MECHLINIENSI

Beatificationis et Canonizationis

VENERABILIS SERVI DEI

JOANNIS BERCHMANS,

Scholastici Societatis Jesu.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et Proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Dilectus Deo et hominibus Ven. Joannes Berchmans Societatis Jesu Scholasticus, in Belgio natus, perbreve transegit vitæ curriculum, quod quartum lustrum cum dimidio non excessit : at innocuis moribus pueritiam, præclaris virtutibus adolescentiam exornavit; et tum in sæculari statu apud parentes ac præceptores; tum in regulari, ubi S. Ignatii institutum suscepit, pietatis, obedientiæ, legum omnium observantia cæteris tyronibus, provectis patribus, ac moderatoribus eximium se præbuit exemplar. Quum autem in arcto virtutum calle

alacriter progrederetur, correptus est levi morbo, qui inopinato deinde ingravescens illum ad extrema perduxit. Gaudens ipse imminentis mortis accepto nuncio, omnibus Ecclesiæ Sacramentis piissime susceptis ultimum diem explevit in Urbe idibus Augusti Anno 1621.

Egregiis animi et corporis dotibus Ven. Juvenis charus omnibus, præsertim ex eadem spectatissima Societatis Jesu familia, maximum sui desiderium reliquit, illiusque nomen a pretioso obitu fuit in benedictione, et memoria perenniter viguit. Ideo cura et studio ejusdem Societatis Jesu paullo post Ven. Joannis interitum super illius vitæ ductu ac gestis Romæ atque Antverpiæ, in regione ubi ortus fuerat, testimonia collecta fuerunt, et Processus ordinaria auctoritate constructi. Quum vero præter hominum testimonium, divinum desuper in his gravissimis judiciis exquiratur, post intervallum sæculi et amplius tunc enixius agi cepit apud Sacrorum Rituum Congregationem de tribuendis Ven. Joanni Beatorum honoribus approbante Sede Apostolica, cum illius invocato nomine Miracula quædam a Deo obtenta ferebantur. Pluribus itaque confectis Processibus, atque iis omnibus absolutis, quæ juxta Summorum Pontificum Decreta, et ipsius Congregationis Sacrorum Rituum consuetudinem in præcipuis hujus Caussæ circumstantiis præmittenda omnino erant, incepta fuit tertiodecimo Kalendas Decembris Anno 1839, quæstio super virtutibus Theologalibus et Cardinalibus Ven. Joannis : primo apud Rmum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Portuensem, S. Rufinæ et Centumcellarum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarium, Sacrorum Rituum Congregationi Præfectum, et Caussæ Relatorem. Secundo agitata ante Rmos Cardinales Sacris Ritibus addictos duodecimo Kalendas Maji Anno 1841, in Palatio Apostolico Vaticano. Tertio tandem proposita Decimo Kalendas

Decembris Anno sequenti 1842, in eodem Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI, ubi tam Rmi Cardinales, quam cæteri Patres Sacrorum Rituum quæsitores singuli suffragia protulerunt.

Omnium attente perceptis suffragiis Sanctissimus Dominus ad aliud tempus supremam suam protraxit sententiam; ut interim in ardua quæstione solvenda adhiberentur preces ad implorandum auxilium Divinæ Sapientiæ, quæ mortalium mentes æterno lumine suæ claritatis illustrat. Quum autem orasset, omnemque rei seriem diutius expendisset, solemnitate Pentecostes adveniente, hoc tempore quo Paraclitus Spiritus linguis igneis illabens Apostolorum illuminavit mentes, et corda inflammavit, animum suum patefacere statuit.

Ideo Feria secunda Pentecostes Sacris expletis Sanctitas Sua accersit ad Vaticanas Ædes Rmum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Portuensem, S. Rufinæ et Centumcellarum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarium Sacrorum Rituum Congregationi Prefectum, Caussæ Relatorem una cum R. P. Andrea Maria Frattini Sanctæ Fidei Promotore, et infrascripto me Secretario, ac solemniter pronunciavit : *Virtutes Theologales et Cardinales, earumque adnexas in gradu heroico* Ven. Servi Dei Joannis Berchmans *Societatis Jesu ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor Miraculorum.*

Decretum autem hujusmodi promulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri præcepit Nonis Junii Anno 1843.

C. M., *Epus. Portuen. Card. Pedicinius S. R. E. Vice-Cancellarius S. R. C. Præf.*

Loco † Sigilli.

Joseph Gaspar Fatati S. R. C. Secretarius.

GENEALOGIA VEN. JOANNIS.

Excerpta est hæc, qualis hic editur, ex scriptis genealogicis Godefridi van Zurpele, qui Diestensibus a secretis fuit ab anno 1677, Pensionarius vero ab anno 1680 ad annum 1706, quo obiit. Ejus volumen genealogicum, constans foliis membranaceis valde amplis minimum sexaginta, omnes familias complectitur quæ cum Zurpeliana aliqua cognatione conjunctæ fuerunt, inter quas numerantur plurimæ ex iis quæ in Genealogia Ven. Joannis prodeunt. Ejus diligentiam in rebus perquirendis et accurate consignandis testantur monumenta plura ejus manu exarata, quæ hodieque in archivo Diestensi visuntur. Ceterum fontes ex quibus suas Tabulas deprompsit, indicavit ubique, quos infra in Annotatis ad Schema genealogicum diligenter adscripsimus (1).

Discimus porro ex hac Genealogia majores et consanguineos Ven. Joannis frequenter magistratu inter Diestenses ornatos fuisse, quod ceteroqui jam partim innotuerat ex testimonio coævo Valerii Van Stephout (2), et plane confirmatur ex Vita Ven. Joannis flandrice, anno octavo ab ejus obitu typis vulgata (3), in qua inter ra-

(1) Communicatus mihi est liber Godefridi ab eximio D. vanden Hove, Judice Tribunalis Lovaniensis, qui tam ipse, quam ejus consanguinei, Diestæ magnam partem habitantes, familiam Ven. Joannis itemque Zurpelianam plurimis modis sanguine attingit. Missa mihi præterea sunt a viris eruditis R. D. Raymackers Priore Abbatiæ Parcensis et R. D. Jonghmans Vicario Diestensi S. Sulpitii, documenta nonnulla ad illustrandam genealogiam utilissima, quæ ex archivo Diestensi et ex codicibus mss. collecta fuerunt, de quibus omnibus hic gratum animum testari volui.

(2) Supra p. 309.

(3) *Het leven van Joannes Berchmans Neder-lander, Religieus der Societeyt Jesu, beschreven in 't Italiaensch door P. Virgilius Cepari, ende verduytscht door P. Jacobus Susius, beyde Priesters der selver Societeyt. T'Antwerpen.* 1629.

tiones cur magistratui Diestensi dicata fuerit, illa etiam adducitur, quod pater ac majores Ven. Servi Dei eumdem magistratum gesserint et adhuc essent ex ejus consanguineis, qui eum gererent, dum Vita edebatur (1).

Certum tamen est parentibus Ven. Joannis opes defuisse ut eum in studiis versantem diutius sustentarent; cujus rei aliquot causæ assignari possent, ut sunt multitudo fratrum ac sororum utriusque parentis, diuturnus morbus ejus matris (2), vel forte improvisum aliquod infortunium. Ceterum familiam paternam Ven. Servi Dei circa illud tempus pristinis fortunis excidisse et ad mediocritatem devenisse, ex pluribus monumentis manifestum est.

Domus etiam in qua Ven. Joannes natus est et educatus, qualis hodiedum cernitur, humilis est et angusta, verum ad ædificia privata quod attinet, si excipiantur aliquot civitates majores, nequeunt illa tempora cum nostris conferri. Qui meminerunt qualis fuerit hæc domus multis abhinc annis et quales aliæ tum temporis essent, eam satis commode exstructam fuisse ferunt. In-

(1) Dirigitur hæc dedicatio ad magistratum Diestensem his verbis : « Edele, wyse ende voorsienighe Heeren, myne Heeren » Drossaert, Schouthet, Borghemeesteren, Schepenen ende » Raedt der stadt Diest. » Inferius vero hæc inter cetera leguntur. « Het is dan meer als reden dat hy nu syne stadt ende hare » Regeerders besoecke, onder welcke oock syne Ouders ende » Voor-ouders eer-tydts waren, ende noch van syne naer-vrienden syn, ende met den aenghenamen reuck synder deughden » vervulle, die eenieghelyck uyt het lesen van syn leven trecken » sal enz. » Diestæ tum temporis Consules seu Burgimagistri duo erant et septem Scabini. Drossardus vero, et Scultetus sive Prætor, justitiæ administrandæ præcipue erant addicti. Cfr. Gramaye, *Antiquitates*, ubi de Lovanio etc. p. 53 et 67 edit. 1708, et Gachard, *Précis du régime municipal de la Belgique avant* 1794, p. 15 sqq.

(1) In Vita p. 14.

super in aliquo *libro* ms. *status animarum parochiæ* Diestensis *S. Sulpitii* (1) domus ista, quæ ut pleræque aliæ aliquod nomen præferebat, bis adducitur, in duabus nempe viis adjacentibus et una tantum domo interjecta, ac simul utroque loco eadem familia vel homines diversi ad eamdem familiam pertinentes, ei assignantur; et quidem annis in libro illo adscriptis, sola familia Berchmans, seu paterni cognati Ven. Joannis utroque loco comparent (2). Hæc autem sic sunt explicanda. Exstat videlicet etiamnum duplex illa domus, seu exstant domus illæ binæ, et idem etiamnum præferunt nomen, una tantum domo intermedia, quæ in angulo viarum sita est, ab invicem sejunctæ; sed olim, ut meminerunt homines grandævi, et ut situs locorum ac nomen unum et idem comprobant, introrsum jungebantur inter se et pervium usum habebant. Ex quibus plane verisimile fit, parentes Ven. Joannis, alicujus commercii gratia, vel ob aliam quamcumque causam, utramque domum simul incoluisse. Ceterum utut hæc sunt, procul dubio verum est quod in Vita Ven. Servi Dei de collapsa re familiari ejus parentum memoratur, et componere ea quisque potest cum iis quæ aliunde ex probatis monumentis docemur, prout ei visum fuerit. Absit enim ut gloriam hujus sæculi, quæ a servis Dei contemnitur, ei immerito arrogare velimus; sed oportuit ut ejus fasti genealogici, qui nunc primum in lucem eduntur, suis probationibus stipati prodirent, et ideo hic aliqua declaranda fuerunt.

(1) In quo describitur recensio illius parochiæ annorum 1662, 1666, 1668 et 1711.

(2) Vide Annotatum (7) ex sequentibus.

ANNOTATA AD SCHEMA GENEALOGICUM.

(1) Ex Actis Scabinorum Diestensium ad diem 12 Novemb. 1578, 18 Aug. 1611 et 12 Febr. 1619.

(2) Additur hic Nicolai Swerts ejusque uxoris epitaphium legi in Templo S. Sulpitii ante altare S. Martini.

(3) Acta cit. ad 7 Sept. 1610 et 26 Aug. 1639.

(4) Ibid. ad 23 Oct. 1631. Defuncta uxore sacrum secessum, ut vocant, seu exercitia spiritualia peregit Lovanii in Collégio Societatis, et cum satis a litteris esset instructus, non multo post sacerdotio initiatus est.

(5) V. supra p. 374.

(6) Hujus Vita legitur ad calcem Vitæ S. Beggæ flandrice editæ Antverpiæ anno 1712, inter Vitas Begginarum, quæ virtutibus et pietate insignes fuerunt, p. 172 sqq. Asservantur in conventu B. V. Apostolorum Reginæ in Begginasio Diestensi aliquot ejus pia scripta, ex obedientiæ præcepto exarata.

(7) Habitabat hic anno 1666 cum uxore et liberis in ea domo in qua natus est Ven. Joannes, quæ nomen habebat et etiamnum habet *de kleine zon* (sol minor) et sita est in via dicta *Beverstraet;* in altera autem domo ejusdem nominis, in via *Ketelstraet,* habitabat ejus mater cum sorore. Ita legitur in *libro* ms. *status animarum parochiæ S. Sulpitii* ad annum prædictum, et iterum ad annum 1668; anno vero 1662, idem Franciscus, qui nondum uxorem duxerat, degebat cum matre et sorore in via *Ketelstraet,* et alteri parti in via *Beverstraet* nulla familia assignatur. Anno demum 1711 (nam anni intermedii desiderantur) Franciscus jam obierat, et ejus uxor seu vidua transierat ad domum viæ *Ketelstraet,* in altera vero, in qua vitam auspicatus est Ven. Joannes, habitabat Petrus Berchmans, quem verisimile est Francisci filium fuisse, cum uxore Ida Van Beumen et filiabus tribus. Ex quibus omnibus confirmatur quod supra est dictum, bina illa ædificia, quibus idem est nomen, primitus uni eidemque familiæ usui fuisse et verisimiliter id contigisse cum parentibus Ven. Joannis, qui uterque honesto loco nati erant.

(8) Cfr. Vita cit. S. Beggæ p. 191.

(9) Acta cit. ad 19 April. 1618, 8 Martii 1619, 15 Januar. 1630. 30 Sept. 1648, 15 Maji 1651 et 4 Aug. 1655.

SCHEMA GENEALOGICUM

FAMILIÆ PATERNÆ ET MATERNÆ VEN. JOANNIS BERCHMANS.

Joannes Berchmans,
Scabinus Diestensis anno 1593, uxorem duxit Mariam Van Steyvort, † 6 Sept. 1617, filiam Francisci, et Annæ Witten (1).

Carolus Berchmans,
Consul Diestensis anno 1629, † 1668. Duxit 1° Annam vander Straeten, † 1624, filiam Pauli, et Catharinæ Coghen. 2° Annam Swerts, filiam Nicolai, et Margaritæ Van Ghele alias Parys (2), viduam Joannis Henrix. — Secundum conjugium absque prole. Ex primo (3) :

Paulus Berchmans,
Parochus in Webbekom.

Catharina Berchmans,
nupsit Jacobo Rycquart Antverpiæ.

Joannes Berchmans,
duxit Margaritam Henrix.

Walterus Berchmans,
qui avi paterni Ven. Joannis forte frater fuit, vel certe genere proximus, duxit Christinam Jans, filiam Matthiæ.

Catharina et Maria Berchmans,
Begginæ.

Ven. Joannes Berchmans,
natus Diestæ 13 Martii 1599, ingressus Soc. Jesu Mechliniæ 24 Sept. 1616, † Romæ 13 Augusti 1621.

Matthias Berchmans,
Canonicus Regularis in Abbatia Averbodiensi Ord. Præmonstratensis.

Margarita Berchmans,
nupsit Theodoro vanden Boom.

Joannes Berchmans,
Scabinus Diestensis anno 1608, † 12 Oct. 1618. Duxit Elisabeth vanden Hove † 30 Nov. 1617, filiam Adriani, et Mariæ Vleugels. Mortua conjuge factus est presbyter et Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Sulpitii (4)

P. Carolus Berchmans,
Soc. Jesu, † Aldenardæ 17 Januarii 1666 (5).

Theodorus vanden Boom,
Eremita Ord. S. Augustini.

Walterus vanden Boom.

Paulus vanden Boom.
Fundavit conventum B. V. Apostolorum Reginæ in Begginasio Diestensi anno 1662. Decanus S. Sulpitii a die 7 Sept. 1778, † 23 Nov. 1781 (8).

Bartholomæus Berchmans,
alferus seu signifer † 12 Martii 1657; nomen uxoris ignoratur, nec videntur liberi fuisse. — Fuit et *quartus* filius de quo nihil innotuit.

Maria Berchmans,
nupsit Henrico De Roeck, Procuratori Parlamenti Mechliniensis.

Margarita Berchmans,
nupsit Renero Wellens.

Elisabeth Berchmans,
nupsit Petro De Weerdt.

Franciscus Berchmans,
duxit Annam Van Olmen.

Anna Berchmans,
Beggina Diestensis, nata 27 Sept. 1622, † 7 Novemb. 1665 (6).

Joannes Berchmans,
duxit Catharinam Verheyden ex Testelt.

Maria Berchmans,
nupsit Laurentio Bauwens, in Miskom.

Franciscus Berchmans,
natus an. 1659 (7), duxit Catharinam Vanden Plas natam an. 1637, † 1725.

Catharina Berchmans,
nata an. 1642.

Joannes Berchmans,
natus an. 1665.

Franciscus Berchmans,
natus an. 1667.

Joannes Bapt. Berchmans,
natus an. 1671.

Henricus vanden Hove,
duxit Catharinam Cools (9).

Adrianus vanden Hove,
Consul Diestensis anno 1592, duxit Mariam Vleugels.

Cornelia vanden Hove.
Nomen viri ignoratur.

Antonius vanden Hove,
duxit Mariam van Iperen (10).

Adrianus vanden Hove,
Parochus in Freren.

Henricus vanden Hove,
† cælebs.

Maria vanden Hove,
nupsit Ludovico Van Quellenborch.

Joannes Van Quellenborch,
duxit Annam Wiggers filiam Francisci (12).

Christoph. Van Quellenborch,
duxit Lucretiam Nicles.

Ludovicus Van Quellenborch,
Drossardus in Lippeloo, Maldere etc. duxit Corneliam Manriques.

Anna vanden Hove,
nupsit Guilielmo van Enckevort, præfecto equitum in exercitu imperiali.

Elisabeth vanden Hove,
mater Ven. Joannis. Vide supra.

Adrianus van Enckevort,
dux in eodem exercitu. Nomen uxoris ignoratur (13).

Helena van Enckevort,
Priorissa in cœnobio S. Agathæ Leodii in suburbio.

Paulus vander Straeten,
dominus de Dorne, † cælebs.

Jacoba vander Straeten,
nupsit Adriano van Hamel, de quo ad sinistram tabellæ.

Margarita vanden Hove.
nupsit Cornelio Coninx.

Maria Coninx,
nupsit Godevardo vander Straeten, filio Pauli, et Catharinæ Coghen, domino de Dorne et Consuli Diestensi anno 1645.

Maria-Joanna vander Straeten,
Monialis Urbanista Bruxellis.

Joannes vanden Hove.

Maria van Hamel,
nupsit Joanni Duynen Joannis filio.

Godefridus vander Straeten,
Chiliarchus peditum in exercitu imperiali.

Catharina vanden Hove,
nupsit Peregrino van Hamel.

Adrianus van Hamel,
J. U. L. duxit Jacobam vander Straeten, filiam Godevardi, et Mariæ Coninx.

Maria van Hamel,
nupta N. van Elderen (14), præfecto militum, absque liberis; Margarita et Nicolaus, de quibus nihil innotuit.

Henricus vanden Hove,
presbyter?

Peregrinus van Hamel,
† cælebs.

Elisabeth vanden Hove,
† 1629, nupsit Joanni Quints Quæstori et Scabino Diestensi, † 1623 absque liberis. Tumulum habent in Templo Diestensi S. Sulpitii (11).

(10) Ibid. ad 20 Julii 1553.

(11) Horum tumulo insculptum est scutum gentilitium, in cujus sinistra parte gentilitia conspiciuntur avi materni Ven. Joannis atque adeo ejus matris, ut supra est dictum. Eadem cernuntur accurate depicta in libro Godefridi van Zurpele, suntque hujusmodi. lilia duo argentea in scuto cæruleo et ad dexteram quadratum argenteum cum tribus quinquefoliis coccineis. Quadratum illud insignia refert familiæ Witten, quod alicui affinitati tribuendum. Ceterum multæ aliæ familiæ ex iis quæ in Genealogia Ven. Joannis nominantur, in libro Godefridi sua insignia appicta habent, siquidem hæc olim adeo rara non erant in familiis, et labente tempore etiam fortunis mediocribus adhærere potuerunt.

(12) Acta cit. ad 18 Maji 1643, 2 Aug. 1645, 30 Januar. et 9 Decemb. 1665. Franciscus ille frater fuit Joannis Wiggers, qui theologiam docuit in Academia Lovaniensi per annos 26, eximia laude doctrinæ, et plurimum etiam ob pietatem, mansuetudinem et zelum a scriptoribus commendatus est; noti sunt ejus Commentarii in D. Thomam, qui pluries recusi sunt. Cfr. *Biblioth. Belg.* auctt. Valerio Andrea et Foppens.

(13) Acta cit. ad 28 Febr. 1642. De Adriano ejusque sorore hæc habet Godefridus: « Adriaen van Enckevort Baron en General » van den Keyser. Uxor...?

» Helena van Enckevort, Priorinne van 't clooster van Ste. » Agatha by Luyck. » Cfr. Bouillé, *Hist. de Liége* tom. 3 p. 338.

Nescio an hi ad eamdem familiam pertinuerint ac Guilielmus Enckevortius (alias ab Enckevort, van Enckevoirt, van Enckevoort) S. R. E. Cardinalis et episcopus Ultrajectinus, qui natus est in Mierloo, Brabantiæ Septentrionalis vico. Cfr. *Hist. Episcopatus Silvæducensis* p. 139 sq. et 318; *Le grand théâtre sacré de Brabant*, tom. 2 part. 1 pag. 38 et part. 2 pag. 9. Etc.

(14) Cfr. *Le grand théâtre sacré etc.*, tom. 2 part. 1 pag. 205.

INDEX.

P. Mutii Vitellesci Præpositi Generalis Societatis Jesu, de hac Vita Testimonium. 1

Litteræ P. Virgilii Ceparii Societatis Jesu, ad patres fratresque Belgas ejusdem Societatis, quibus mentem suam explicat operisque argumentum. 5

PARS PRIMA.

DE ORTU, EDUCATIONE ET VITA V. JOANNIS IN BELGIO ACTA.

Caput I. — Ejus patria ac parentes. — Pater ejus, uxore mortua, sacerdotio initiatur. — Ejus indoles et futuræ sanctitatis indicia. — Progressus in litteris. — Mentis puritas. — Innocentia baptismalis servata. — Prima Communio. — Studium Orationis. — Affectus in B. Virginem. — Obedientia et diligentia in studendo. — Multus est in templo, nullus in foro. — Rhetoricam audit in collegio Mechliniensi Societatis Jesu. — Quomodo illic se gesserit. — Adscribitur sodalitio B. M. Virginis. — Varia pietatis ejus exercitia. — Opinio sanctitatis ejus. — A Deo ad religiosam vitam invitatur. — Quid egerit ad cognoscendam divinam voluntatem. — Ratio conservandæ vocationis. 13

Caput II. — Joannes in Societatem admittitur. — Virtutes ab eo in Novitiatu exercitæ. — Novitiis præficitur. — Perpetua oris hilaritas. — Nulla in eo culpa inventa, nec virtus desiderata. — Multus est in adorando SS. Eucharistiæ Sacramento. — Oratio ejus et cum Deo familiaritas. — Vota post primum annum Novitiatus privatim nuncupat. — Deo virginitatem jam a puero consecrat. — Ejus perfecta obedientia. — Admiranda castitas. — Mortificatio et abstinentia. — Zelus animarum. — Aspectu suo ad virtutem invitat. — Testimonium Magistri Novitiorum. — Qua fide hæc vita scripta. — Aliud testimonium. 35

PARS ALTERA

VITÆ V. SERVI DEI, QUAM EGIT IN COLLEGIO ROMANO, EX QUO E BELGIS VENIT AD ULTIMUM USQUE MORBUM.

Caput I. — Romam e Belgio proficiscitur. — Quantum duxerit beneficium Romæ studere posse. — Missiones exteras desiderat. — In itinere suo apud omnes sanctitatis opinionem relinquit. — Quid egerit Laureti. — Romæ adscribitur contubernio separato Collegialium novorum. — Addicitur studio philosophiæ, docente P. Francisco Piccolomini. — Perfectio ejus in communi vita. — Perfectio in quolibet opere. — Nemo umquam vel minimam imperfectionem aut defectum quantumvis levem in eo deprehendere potuit. — Quanta in hac re sita sit sanctitas. — Adducuntur testimonia Moderatorum. 58

Caput II. — Qua via ad perfectionem contenderit. — Propositum concipit numquam venialiter peccandi, aut regulam ullam violandi. — Propositorum fuit tenax. — Ejus in contubernio separato observantia. — Suadet pœnitentias propter defectum observationis regularum injunctas, bono animo adimplere. — Observantissimus fuit omnium legum ac jussionum. — Odit per privilegia regulis eximi. — Amor regularum. — Angelica puritas; ad hanc tuendam quatuor ab eo adhibita subsidia : 1° temperantia et abstinentia in victu. — Quomodo ad mensam se gesserit. 2° Custodia oculorum. — Aspectu se abstinet non tantum mulierum, sed etiam virorum. — Rerum novarum aspectum vitat. — Quomodo in ecclesia se gesserit. — 3° Modestia seu totius hominis compositio, et moderatio omnium actionum. — Modestiam ipse describit; quantum in ea excelluerit. — 4° Fuga familiaritatum. Signa perniciosæ amicitiæ. — Quantam exinde prærogativam puritatis a Deo acceperit. — Tentationes contra castitatem numquam patitur. — Quanta ejus cautio in libris legendis. — Huic Angelicæ puritati duæ aliæ prærogativæ cælitus adduntur, una in vita, altera post mortem. — Aspectus ejus ad castitatem stimulus est. — Invocantibus se castitatis custodem se præbet. 78

Caput III. — Subsidia quibus V. Joannes defectus etiam minimos constanter vitavit. 1° Bona indoles. — Ab omni melancholia fuit immunis. — Ejus mores. — 2° Constans ordo vivendi. — Nullum perdit tempus. — Provisas habet actiones suas omnes. — 3° Custodia linguæ. — Regulam silentii accuratissime servat. — Colloquia ejus inter recreationem sancta. — Industria ad comparandam copiam sermonis spiritualis. — Instituta ab eo Academia bonorum colloquiorum. — Studium legendi libros instituti proprii. — 4° Usus examinum conscientiæ. — Accuratissime ea peragit, nec ullum umquam intermisit. — Nullis tamen scrupulis umquam fuit agitatus. — 5° Diei unius per singulos menses collectio. — Quo pacto diem illum transigeret. 104

Caput IV. — Honorifice de omnibus Religiosis Ordinibus loquitur. — Religiosos omnes veneratur. — Ejus amor in Societatem. — Vestem religiosam cum affectu exosculatur. — Amabat et venerabatur homines omnes Societatis omniaque ad eam spectantia. — Amor quem externis Sociis deferebat. — Amor quo erga Fratres Coadjutores afficiebatur. — Ejus in ægros et infirmos affectus. — Ad comitandum alios promptissimus est. — Remedium adfert cuidam de vocatione sua deserenda cogitanti. — Quanti fecerit vitam communem. — Vitium singularitatis odit. — Recreationi se subducere, Joanni singularitatis indicium est. — Ludebat invitatus, ut omnibus se accommodaret. 123

Caput V. — Quibus rebus Romæ studuerit Joannes et quo erga Præceptores suos fuerit animo. — Quomodo studiis se applicarit. — Nullum perdit tempus. — Magni facit doctrinam suorum Præceptorum. — Quomodo intra cubiculum suum se gesserit. — Qua modestia Præceptorum cubicula accesserit. — Ad scholas quomodo iverit. — Examinatur in philosophicis. — Quomodo se ad propugnandas publice theses de universa Philosophia comparavit. 138

Caput. VI. — Quomodo in officiis rebusque communibus vitæ Scholasticorum Joannes se gesserit. — Quæ ejus reverentia erga Superiores. — Trium rerum singulis hebdo-

madis Superiori rationem reddit. — Tribus præcipue fruitur solatiis. — Quantæ fuerit obedientiæ. — Sacris frequenter inservit. — Gaudet in plateis et foris catechesim docere. — Quomodo petulantissimum cœtum aliquando pacaverit. — Domesticis servitiis erudiendis præficitur. — Ejus charitas in alieno cubiculo procurando. — Amor cubiculi, et quomodo in eo se gereret, quantamque reverentiam, charitatem, vitæ exemplum contubernali suo exhiberet. — Ejus cubiculi paupertas. — Rebus omnibus se spoliat. — Nec habebat quidquam, nec habere cupiebat. — Paupertas ejus oratorii. — Cura nitorque supellectilis conservandæ. — Mane quomodo surgeret. — Vilissimis officiis delectatur. — Ejus publica in triclinio demissionis exercitia. — Reliquias mensarum pauperibus erogat. — Quanto frueretur solatio in munere curandarum lampadum, quod et S. Aloysius olim in eodem Collegio exercuerat. — Reverentem se exhibet erga omnes ex humilitate. 147

Caput VII. — De devotione ac pietate V. Joannis ejusque studio spiritualium rerum. — Ejus exercitationes nonnullæ declarantur. — Mortificatio externa. — Lectio spiritualis. — Oratio et unio cum Deo. — Meditatio et ad eamdem præparatio. — Lumina et cælestes consolationes quas meditando percipiebat. — Ariditas ac desolatio quam nonnumquam patiebatur. — Perpetua pax animi. — Vota quotidie renovat. — Ejus devotio et amor erga SS. Eucharistiæ Sacramentum. — Quanta diligentia ad S. Communionem sese præpararet. 161

Caput VIII. — Devotio V. Servi Dei erga Beatissimam Virginem Mariam. — Sacella ac templa ei dicata frequenter visitat. — Quanto pietatis sensu Coronam quotidie recitaret. — Encomia virtutum B. Virginis e variis auctoribus colligit. — Tempus vacationum huic suæ devotioni universum consecrasse videbatur. — Voto se obstringit, si quos libros aliquando ederet, primum fore de Immaculata Conceptione, itemque eam perpetuo se defensurum, nisi aliter Ecclesia decerneret. — Quanta fiducia B. Virginem multa exoraret. — Quos alios Sanctos præcipue coleret.

—Speciatim S. Aloysio est devotus. — Ejus perfectio consummata. — Moriendi desiderium. — Mortis instantis indicium capit, ex sententia quam in menstrua distributione Sanctorum tutelarium sortitur. — Quinto post die morbus apparet. 171

PARS TERTIA.

DE MORBO ET MORTE V. JOANNIS.

Caput I. — Morbi initia.— De Philosophia disputat summa cum laude in Collegio Græcorum. — Febri corripitur. — In valetudinarium concedit. — Morbus ingravescit. — Admonet periculi invisentes. — Valetudinarii consuetudines religiose observat. — Superiori roganti an ad mortem paratus sit, quid responderit. — Ejus lætitia audito mortis nuntio. — Colloquia cum Christo. — Dictat schedium Rectori porrigendum. — Communis mœror super instanti ejus morte. — SS. Viatico munitur. 185

Caput II. — Rector Collegii ejus mortem deprecari conatur, idque Joanni videtur cælitus innotuisse. — Invisitur a R. P. Generali. — Morbus ejus corpori sed non animo quietem adimit. — Ad mortem proxime se parat. — P. Joannes de Lugo, Theologiæ Professor, ei negotium aliquod Deo admodum honorificum commendatum venit. —Visitantium concursus.—De ejus virtute opinio illustrissimi Angeli Cesi. — Moriturus tria plerisque commendat. — Privata quibusdam tradit documenta. — Aperte suæ mortis tempus præsignat. — Armatus est adversus tentationum assultus. — Prædicit loquentem se esse morituram. — Horis aliquot ante mortem canit hymnum *Ave maris stella*. — Tentatur a diabolo, ut præviderat. — Loquendi usum amittit, sed tribus post horis eum recuperat. — Denuo tentatur. — Ante mortem Litanias Beatissimæ Virginis distincte recitat. — Moritur oculis in Christi crucifixi imaginem defixis, et pronuntiatis sanctissimis Jesu et Mariæ nominibus. 198

Caput III. — V. Joannis statura et forma. — Supellex ejus pro reliquiis abripitur. — Professores in scholis obi-

tus ejus signo audito lacrimis non temperant et in ejus laudes, lectione intermissa, se effundunt. — Testimonium de Joanne Patris Didaci Seco. — Fama sanctæ ejus mortis per Urbem celebratur. — Cardinalis Bellarminus dolet se morienti Joanni non adfuisse. — Dum exsequiæ celebrantur, magnus fit populi concursus, multaque in reliquias auferunt et defuncti corpus veneratione prosequuntur. — Non tantum vestium sed et corporis ejus partes resecant. — Tumulus ejus visitantium honorantiumque concursu frequentatur. — Donaria ex voto ad tumulum afferunt. — Sanctitatis ejus fama per totam Europam spargitur. — Quibus e rebus Joannis sanctitas colligatur. 223

PARS QUARTA.

Egregium testimonium P. Cornelii Cornelii a Lapide de V. Joanne. 240

COLLECTIO VARIARUM RERUM SPIRITUALIUM A VEN. JOANNE AD SUI UTILITATEM LATINE CONSCRIPTARUM, QUÆ USUI ESSE POSSUNT ETIAM ALIIS.

Oratio quam solitus erat recitare, et vocabat eam orationem Sodalitatis. 248
Diarium, quod sibi in Novitiatu collegit, ac servandum conscripsit in Belgio. 249
Alia quædam ab eodem Romæ conscripta. 254
Incitamenta ad orandum. *ib.*
Modus bene transigendi mediam primam horam matutinam.
Meditatio. 257
Missæ sacrificium. *ib.*
Communio. 260
Confessio. 262
Quadrans post examen vesperi. 263
Modus pro reliquis actionibus. 264
De emendatione vitæ. *ib.*

Bonus scholasticus Societatis Jesu. 269
Quædam placita et decreta moralia, quæ sibi conscripsit Joannes ultimo anno vitæ suæ. 271
Miscellanea. 275
Colloquia spiritualia diei Vineæ. 286
Corona duodecim stellarum B. Mariæ Virginis. 290
Modus recitandæ salutationis angelicæ, ex secundo modo orandi B. Ignatii. 301

APPENDIX.

§ I. Testimonia aliquot de priore parte vitæ Ven. Joannis, quam egit in Belgio. 309
§ II. Testimonia de altera parte ejus vitæ quam Romæ egit, deque felici ejus morte. 321
§ III. Beneficia aliquot et gratiæ quæ ejus intercessione prodigiose feruntur obtenta. 345
Excerpta aliquot ex Actis S. Aloysii Gonzagæ. — Imago S. Aloysii picta a Ven. Joanne. Hujus epistola ad D. de Froymont Canonicum Mechliniensem. Quam similis fuerit Ven. Joannes S. Aloysio. Prodigiosa curatio Josephi Spinelli Soc. Jesu, apparente ei S. Aloysio et Ven. Joanne, Panormi facta. 371
Decretum SS. D. N. Gregorii XVI de virtutibus Ven. Servi Dei. 378
Ejusdem Genealogia. 381

ERRATA.

Pag. 22. *Sherpenheuvel.* — lege : *Scherpenheuvel.*

E regione pag. 384 in medio Schematis genealogici :

a die 7 Sept. 1778, † 23 Nov. 1781.

lege :

a die 7 Sept. 1678, † 23 Nov. 1681.

060.97
B 451
24309

CEPARI, VIRGIL, S. J.

AUTHOR

Vita Venerabilis Servi Dei .

TITLE

Joannis Berchmans, S. J.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - COSA	

24309